

b
1 a



Sammelband
IV.

Z Philosophie.

W 7.

131.

N^o 8921 *





NIC. HIER. GVNDLINGII

J^Cti

LOGICA

SEV

ARS RATIOCINANDI
GENVINIS FVNDAMENTIS
SVPERSTRVCTA ET A PRÆ-
SVMTIS OPINIONIBVS
VACVA

EDITIO II.

AVCTIOR ET EMENDATIOR.



HALÆ MAGDEBVRGICÆ, A. 1726.
PROST. IN OFFICINA RENGERIANA.

LOGICA

ARS RATIOCINANDI



239

PROSTHEZIS





PRAEFATIO
AD
LECTOREM.

Qui recte philosophari in-
que vniuersa doctrina,
quam minime fieri pot-
est, errare cupiunt, illi
LOGICAM, rogo, addiscant, quia
principia tradit ad inuestigandam &

) (2 inve-

Præfatio ad Lectorem.

inueniendam veritatem omnibus in disciplinis accommodatissima. Quidquid suscipitur sine fructu est ac fide, sine solida scientia, incertum, turbidum, confusum, corruptum sæpe, & peruersum plerumque. Causa, quæ nonnullos, immo plurimos ab hac arte cognoscenda auertit, illa balbutiens & barbara methodus erat, os a pectore, & linguam a corde separans: ita vt, si Syllogisticam excipias, sonos te didicisse inanes fatendum sit, sonos, inquam, infrunitos, ac nugas sine numero. Quanquam enim negari nequit, docuisse quoque Aristotelem in libris analyticis posterioribus vera & certa de demonstratione; ac multos fuisse Peripateticos ingenii excellentis, atque artis demonstrandi peritissimos; simul tamen fateri cogimur, multis ambagibus eos adhuc locum dedisse; quemadmodum & Mathematici solent, quorum opera sicuti alioquin neutiquam contemnenda; ita breuiori



uiori via, quidquid in hisce genera-
libus boni habent, tradi adoleſcen-
tibus potest. Vnde suadendum om-
nibus, vt liberos sese ab omni se-
cta conseruent, ingenue singula in-
uenta considerantes; deinde in
ὄψεις ac certa capita distribuunt,
distributa exemplis per varias disci-
plinas illustrantes; postremo ma-
nus admoveant, & themata species-
que varias ex omni arte elaborent;
vt demum percipiant, quæ sit veri-
tatum genesis ac nexus, qui sensus &
ratio cogens in aliorum scriptis, qui
in propriis argumentis ordo, quæ
consecutiones certæ & immotæ,
quæ verisimilia, quæ non, quæue
conclusiones ac nouæ veritates ex
concessis cognitisque profluant tan-
dem. Et hanc illi rationem ubiuis
& vndique ineant: quod plerique
non obseruarunt, nec obseruant ad-
huc, quando ad altiora studia va-
dunt; prodentes hoc pacto, se Lo-
gicæ præcepta in transcursu audiuif-
se: adeo illi ineptiunt, sicuti ceteri,



Prefatio ad Lectorem.

qui ante nos fuerunt, definientes pauca, probantes raro, quæ probatione indigent, accipientes plurima pro indubitis, quæ sunt hiulca, lacunosa, longamque propterea rationum & argumentorum seriem exposcunt, vt demum repleatur vacuum, & catena veritatum mutuo sese insequentium efficiatur. Idque in omni litterarum genere fieri posse, minime videtur ambigendum; ita ut nec ipsa Theologia, nec Iurisprudentia, nec Medicina recte ab hoc circulo eximatur. Tam enim certa ex hypothesi, quam principii & axiomatis loco pono, licet inferre, quam iis, quæ sunt indubitata ac certissima. Quod Iurisconsulti omni die propriis experimentis possent cognoscere, si adverterent animum, nec, quæ tractant in cumulum coniicerent; sed singulis sub rubricis omnia rite definirent, ac definita probarent, & ex probatis demum variis illationibus & exemplis, cognitionem suam locupletarent,



Præfatio ad Lectorem.

rent. Nec dubito, quin idem in Theologia sperandum sit magno temporis compendio: quod deinde aliis rebus consecrari posset, quæ ad interpretandum conducunt, & ad historiam & antiquitates variarum gentium intelligendas cum maxime faciunt. Semper enim animum induxi, neglectum *Logices* in causâ fuisse, quare eadem adhuc in omni alia eruditione oberremuslyra; nec plures detegantur veritates, aut clarius comprehendantur, quam maiores comprehendere nostri. Discimus namque, sed confuse: aliqua fortuito detegimus: nonnulla iterum novis tenebris obducimus: docemus obscure, scribimus indocte, nec ratione consequa; & quæ pro dimidio cognoscimus, plene perfecteque credimus scire; unde artium ac scientiarum progressus impediuntur: neque, spes meliorum superest, quamdiu in hac opinione persistimus: *methodum esse*

arbi-

Præfatio ad Lectorem.

arbitrariam, etsi nec ad primas veritates reducamus determinatas, aut has vicissim ab illis deriuemus. Quod mei est instituti, omnes fortassis vident. Relegi cogitata priora; addidi varia, expleui hiantia, exposui obscuriora, respondi nonnulla dubia, nec diffido, fore hanc opellam multis perutilem, quam me non audiunt. Quid vero Auditores mei inde ceperint commodi, meum non est prædicare, sed illorum, qui profecerunt.

Errata extantiora.

PAg. 10. l. 13. lege *provida dubitationis.*
pag. 58. l. 15. §. XVIII. lege *vincibilem*
pro *inuincibilem.* pag. 197. l. 12. lege *tertia*
pro *prima.*

CAP. I.



CAP. I.

DE

INTELLECTV, QVEM REGIT LOGICA HVIVS- QVE NATVRA.

§. I.

CVm Logica regere
debeat intellectum huma-
num; fas est, quædam præ-
fari de intellectu, vtut fat
scio, tractationem solidam
huius rei ad aliam disciplinam & refer-
ri, & certa ratione pertinere.

§. II.

Intellectus vero non res est seorsum
existens, sed vnus *mentis quædam fa-
cultas.*

A

cultas. Dico facultas. Neque enim semper excitatur ad operandum, aut *distinctissime* operatur. Vnde *potentie*, seu *facultatis* vox placet: quamvis displiceat Cartesianis, a multiplicibus Peripateticorum potentiis abhorrentibus, eoque ad alterum extremum prolapsis, ut tum in materia, tum in mente nullas ferrent potentias, seu facultates, sed vna in re varias occurrere *modificationes* dicerent. Scholastici autem ita de intellectu ac voluntate philosophantur, ac si duæ essent res separatim existentes, sicuti duo globi, quorum similiter euitanda est loquendi impolitie.

§. III.

Facultas *quædam* non excludit alias & plures potentias in mente: de quibus, inque primis de potentia *volendi*, seu eligendi alio loco tractabitur. Et si enim vna illa mens intelligit, & vult, & sentit, & quod sensit, sibi repræsentat, & repræsentationis conscia est; nequaquam tamen id sine *viribus* congeneritis, seu *facultatibus* fieri potest; quod iam ab *Hartskero* nouimus animaduversum.

§. IV.

Mens autem altera hominis pars est,
non

non totus homo, vt ineptiuere veteres Pythagorici, Platonici, Stoici: quibus & Cartesium sociat Huetius (*) argumento ab inuidia ducto.

(*) In *cenſura philoſophia Cartesia* p 13.

§. V.

Mens ſicuti ſpiritualis & actuoſa, quod pono, & alibi luculentius demonſtro; ita mirum non eſt, illam inter cetera potentiam ſuam euoluere, ſeu oſtendere cogitando & intelligendo.

§. VI.

Et intelligere vero & cogitare nemo poteſt, niſi quis percipiat res obiectas, eaſque repræſentet ſibi, ac conferat, collatas coniungat, & quandoque ſeparet, ſicque incognitum ex noto atque cognito diſtincte eliciat. Quare INTELLIGERE eſt diſtincte cognoscere: ſi rem totam in perfectione ſua conſideres.

§. VII.

Cognoscere & veteres, & recentiores appellant *videre*: vtque videmus oculis; ita intellectus haud raro oculo comparatur. Quæ comparatio certo modo & perinde toleranda eſt, ac

A 2

aliæ

aliæ similitudines, quum de animæ operationibus verba faciunt acutissimi Philosophorum. Quemadmodum enim oculus varias rerum imagines recipit atque colligit; ita anima per sensus varias species accipit, quas comparat & componit, proque re nata diuidit, ac cognitionem suam per spiramenta temporum amplificat. Hincque est, quod Lockius cum camera obscura & oculum & mentem contulit, quatenus hic recipit imagines, & illa intelligit.

§. VIII.

Nam quæ sit mentis natura, quam essentiam scholastici appellitant, nemo plane pleneque capit. Quidquid scitur, e quibusdam effectibus patet atque experientia, huicque superstructis rationibus. Tota anima nondum cognoscitur. Quocirca vapulat Cartesius, per *cogitationem* omnem animæ vim essentiamque explicari autumans, cum tamen cogitare sit accidens, quod sine subiecto esse nequit, vt taceam, non omnes animæ facultates *mera* cogitatione absolui. Igitur hoc subiectum quadantenus est ac manet obscurum, quamlibet percipiamus, nos cogitare, & eligere: cumque electione cogitationes

tiones coniungi. De quo ut nunc agamus copiosius, ratio instituti non patitur.

§. IX.

Id certum, cogitandi vocem non solum non excludere sensationem; sed & rerum perceptarum comparisonem, connexionem, aut separationem complecti. Connectimus vero vel res comparatas pauciores, vel plures; itemque separamus aut plures, aut pauciores.

§. X.

Comparare significat similitudinem & dissimilitudinem rerum obiectarum querere & observare: *separare* sonat, dissimilitudinem animadvertere & indicare.

§. XI.

Dum vero sentimus, patitur certe mens: hinc *intellectus passivus* dicitur. Dum comparamus, connectimus & separamus, agit: hinc *activus* audit: quam distinctionem non admittit Cartesius, qui mentis actionem *voluntatem* appellat & passionem *intellectum*. Minus recte. Sape enim meditatur & cogitamus, nec tamen hoc istudue eligimus, aut volumus. Multo minus omnia *iudicia* sunt *volitiones*.

A 3

§. XII.



§. XII.

Sed caue putes, intellectus vnus denominationem duplicem efficere distinctionem rei, eamque ita duplicare, vt dici possit, quinam intellectus sit præstantior, actiuus, an passivus? Est hic vnus fere motus, recteque adfirmat Cicero: non tam aures audire & oculos videre, quam animam: dumque hæc sentit & sensationis sibi conscia est, sine actione sane & comparatione non est.

§. XIII.

Neque enim intellectus cogitaret, aut sibi aliquid repræsentaret, nisi sentiret, nec sentiret, nisi organa sensuum homini data essent.

§. XIV.

Vnde quid de intellectu puro iudicandum facile innotescit. Nam si pure intelligere sonat, sine sensuum ope aliquid intelligere, concedo, multa nos a sensibus remota librare & comparare, & generalia principia demum inuenire & contemplari. Quod si vero pure intelligere definiueris per τὸ *cognoscere*, quæ nunquam vel ἀμέσως, vel ἐμμέσως per sensus ad nos venere, subsisto. Tolle namque sensus, & tum dic, quid cogites,

gites, vel cogitare possis? quidue componas, quid itidem diuidas?

§. XV.

Sed fecit interea Platonica opinio & qui hanc philosophiam excolere sat-egerunt, vt animæ eoque intellectui proprium fundum attribuerent, aut etiam mundum intelligibilem, quem *sine sensuum* ope speculetur, inque eo contemplando se exerceat. Quod difficile non solum est comprehensu; verum etiam *idealists* ansam suppeditat, vt existiment, extra se nihil existere. Quod quanquam stultum; huic tamen opinationi acceptum est ferendum.

§. XVI.

Quo obseruato vix habebis fidem adfirmantibus, dari ideas innatas, *νοητάς εἰδύοντες*: Multa enim contempleris licet; multaque effingas, non puto tamen, id sine *experientia* fieri. Experientia obseruationes præponit: obseruationes facta: facta sine *sensuum* instrumentis vix animaduertes, nec sine symbolis & signis custodies. Quod Lockius singularibus capitibus de intellectu humano euicit: statumque controuersis euertunt, qui hic aliam viam eligunt.

A 4

Nam



Nam dum non semper ad primum cognitionis humanæ initium recurritur; cum errore concludunt aliqui, talem cognitionem a sensibus non videri coortam. Quod de virtute aliisque moralibus & metaphysicis ideis cogitantibus vsu venit: facile interea comprehensuris, nihil sibi de virtute, de DEO, de ipsa anima posse occurrere distincti, nisi varia primum sensibus vsurpassent, polienda deinde, versanda, & connectenda, vt sine symbolis iis de rebus cogitare apti videantur: dumque id faciunt, animum inducunt incuriosi, tam puram sibi intelligentiam, aut perspicientiam semper obtigisse.

§. XVII.

Quare tutius philosophantur, qui ad primam mentis operationem, hoc est, *perceptionem simplicem* sollicite attendunt, &, quid fiat, cuiusque rei conficii sibi sint, quidue processu temporis amplius agat mens, curate ponderant: hoc est, quid illa comparet, & deinde componat diuidatque: quod *iudicium* in scholis vocant. Plura vero iudicia & perceptiones connexæ *discursum* efficiunt. Ex quo patet, quamobrem aliqui duas, nonnulli tres, & iterum a-

līi plures *mentis operationes* statuunt :
sed hisce logomachiis nemo inhærebit ad
solidiora contendens. Multoque minus
disputabit, an detur simplex perceptio?
Intuemur enim primum res obiectas, &
comparamus, post cum iudicio decerni-
mus, hoc est, affirmamus & negamus,
atque sic porro. Idque litem Titii in
*arte cogitationum cogitantium ac Tho-
masii nostri* componet forte.

§. XVIII.

Quibus rite confectis parebit demum,
omnis humanæ cognitionis fundamen-
tum esse *experientiam*.

§. XIX.

Experientia veroensione, &, quæ
illam consequitur, ratiocinatione ni-
titur.

§. XX.

Estque vel *propria* vel *aliens*.

§. XXI.

Vtraque usu, labore, atque exerci-
tatione acquiritur.

§. XXII.

Quidquid labore atque industria ac-
quiritur, & propagatur, ordinem postulat.

A 5

§. XXIII.



§. XXIII.

Ordo regulas, regulæ artem exposcunt.

§. XXIV.

Ergo intellectui dirigendo certa ars destinata est.

§. XXV.

Intellectus vero sicuti sensationem non excludit; ita *ingenium*, *memoriam*, *iudicium* comprehendit.

§. XXVI.

Sensio res præsentis fistit: *ingenium* res absentes cum sensationibus coniunctas repræsentat & prompte reddit. *Reddere* stilo Ciceronis est promere. *Memoria* seruat, & promptæ redditioni succurrit. *Iudicium* separat: eaque omnia haud raro concurrunt, vt ad novas sensationes nitatur anima, pluribusque ratiociniis & veritatibus foecundetur.

§. XXVII.

Ex quo inferitur, artem quam signavimus, omnibus hisce regendis & excolendis præesse ac certo modo inferuire.

§. XXVIII.

Eaque LOGICA vocatur a λόγῳ: quam olim
olim

olim ceu artem differendi ac disputandi & philosophicis vocibus loquendi didicerunt, simulatque considerarunt: cum tamen vnicuique facile innotescat, propterea homines cogitasse primum de *Logica*, vt verum inveniretur, & stabiliretur, ac falsum & causæ falsi errorumque detegerentur. Vnde per se claret, obseruationibus variis prima *Logicæ* artificialis stamina deberi, quæ indies magis ac magis sunt diducta, exculpta, & amplificata, vt in omnium disciplinarum initiis & progressu fieri solet.

§. XXIX.

Quare iterum confit, nulli inter antiquos soli adeoque nec Parmenidi Platonique, nec *Zenonibus*; nec item Stoicis *Logicæ* inuentionem tribuendam; sed hunc illam, alterum alias regulas obseruasse; nec improbabile videtur, facilius logicum systema aliquid perfectionis indepturum fuisse, nisi sectaria Philosophia, & *Logica* quoque sectaria inualuisset. Quo seruitutis iugo excusso non male fecere, qui hinc inde decerptas obseruationes in præcepta redegerunt; ita vt nunc acutius videant recentiorum quam plurimi, quam veteribus Sophis ipsique Aristoteli deuota mancipia.



cipia. Sed ut tamen quadantenus intelligatur, quid veteres hac parte præstiterint, quid mediæ & noui, eorum imprimis libelli sunt euoluendi, qui historiam Logices condidere: in quibus G. J. Vossius eminent; cui quis *Morhofium*, *Thomasios*, *Syrbium*, *Walcbium* non sine fructu iungat.

§. XXX.

Re ipsa vero Logica in nexu veri ac consequentiis bene ordinandis, & falsarum ratiocinationum causis euoluendis occupatur: quamuis secundario & ad evitandas obscuritates, atque ambiguitates aliquid etiam de verbis & vocabulis præcipiat, quæ sunt symbola & notæ rerum, quarum est veritas; non autem verborum. In quo an peccauerint Ramus, ac Nizolius, Sturmius ceterique nominales, & Scholastici quoque cum Aristotelicis, facile patefiet lectoris: quanquam hoc cum discrimine, ut illi puriora elegisse & exoptasse vocabula; hi novæ ontologiæ fabricandæ nimium indulgisse videantur.

§. XXXI.

Nexus veri & falsi autem indeque fluentes consecutiones satis indicant, ar-
tis

tis huius finem nequaquam Syllogismum esse artificialem, qui Aristotelis inuentum putatur: vtpote cuius structuræ veritates inuentæ potius includuntur, quam eius ope inueniuntur.

§. XXXII.

Et logicæ vero primarius scopus esse debet veritas inuenienda: quid? quod inuenta veritas, quatenus cum aliis communicanda, ratione discendum est adhuc inuenienda: cum docentes nihil aliud faciant, quam vt ostendant, quomodo veritas a se sit quæsitæ & inuenta.

§. XXXIII.

Ad quæ vniuersa & singula obtinenda certis principiis & regulis, nouis semper conclusionibus augendis, opus est.

§. XXXIV.

Quæ sicuti e rationis fonte fluunt: ita ex mathesi hauriendæ non sunt. Ratio etenim omnibus æque communis est, non autem solis Mathematicis propria. Quamuis fatendum Mathematicos circa suas res simpliciores regulas esse sectatos, quam ceteros, facilia alioquin comprehensu haud parum obscurantes.

Vnde

Vnde vix mirum, mathematicorum regulas a *Cartesio* aliisque ad varias res obiectas & veritates demonstrandas esse adhibitas, quia sunt simpliciores & rationi conuenientes: quod non est negandum *Kuffero*, nec ipsi *Spinozæ*, cuius libellus *de emendatione intellectus*; simul atque alterius *specimen artis ratiocinandi* cum grano salis interea debent legi, ne quis incautus incidat in *Syrtes*.

§. XXXV.

Ac sicuti bene cohærentium regularum Logicarum series ab errore nos tutos præstat, ita quoque contra *Scepticos* munit, quorum problemata nemo melius *Vayerio* pinxit; vt ideo conclusio certa sit: Logicam quam inchoauit *natura*, atque *ars* perfecit, omnibus sapientiam amantibus vtilem, inque singulis scientiis ac disciplinis, vbi vel in veritatem, vel verisimile inquirimus, necessariam esse: indeque instrumentum eruditionis vniuersale merito dicitur, quod ad veritatem in singulis disciplinis inueniendam & detegendam commode potest applicari.

§. XXXVI.

Ita vt neque Theologi, neque Iuris-
con-

consulti, neque Medici peculiaribus hanc in rem libellis indigeant: vtut Logicæ sacræ, christianæ, itemque iuridicæ a multis sunt temere ac sine singulari vtilitate confectæ. Quam vana vero hæc sit methodus, inde pellucet, quod alioquin Logica medica, physica, moralis, mathematica & metaphysica, cetera, esset conscribenda.

§. XXXVII.

Potius vna est veritas. Nec veritas veritati adversatur: nec ratio scripturæ sacræ: nec sacra scriptura rationi: nec lumen lumini: nec Auctor vtriusque sibi; quamuis fines atque termini *reuelationis*, quæ fit per *rationem*, alteriusque, quæ fit per *scripturam*, sollicitè sint regendi: quod & *Grauerus* in libello de *unica veritate cum Museo* aliisque Theologis fanioribus agnouere (*)

(*) Dicatur de libello Meyeri: *Ratio scripturæ interpretis.*

§. XXXVIII.

Vnde parum intererit, Logicam artem *inueniendi veritatem* dicas, an *rectè ratiocinandi*, an *notum conferendi cum ignoto*? Neque enim sapiens de verbis
liti-

litigat, nec, si rem tenet, locutiones metaphoricæ *medicinæ*, aut *synosuræ* mentis cum supercilio improbat.

§. XXXIX.

Ratiocinatio autem 1) *cognitionem* 2) *iudicium* 3) *methodum* requirit.

CAP. II.

DE

COGNITIONE ET IDEIS
QUÆ SVNT ILLIVS FVNDAMENTVM.

§. I.

OMnis cognitio *facultate* cogitandi, *obiecto* & *modo*, seu certa ratione cogitandi nititur.

§. II.

FACULTAS, seu vis cogitandi (das Vermögen zu denken) ex *sensatione* partim, partim *representatione* innotescit. Postremam *reflexionem* Gallorum more adeoque barbare solemus appellare.

§. III.

Vtraque progignit ideas, (*) quæ sunt obiecti alicuius genuinæ notiones.
Notio

Notio notam ponit, qua illas adnotamus atque, post factam collationem, discernimus. Quam collationem *repræsentationem* auctior em dicimus. Vnde quadantenus claret, quomodo *sensatio* & *repræsentatio* differant. *Sensatio* indicat id, quod sentitur, e g. calorem. *Repræsentatio* vero, qua lustrantur res obiectæ, modus est cogitandi longius latiusque procedens, qui omnino a percepto calore diversus est. Vix enim adfirmabitur, repræsentationem caloris esse ipsum calorem, quem obtulit sensus, aut arborem, quam vidi, ita cogitari, vt cogitatio de arbore sit arbor ipsa.

(*) Plato hac voce aliter vsus est, quam nos, qui cum Cartesio hac parte facimus. Veteres *videre* de omni perceptione tum sensuum, tum mentis prædicarunt. Idem fecere Græci. Scholastici *conceptus* nomine vtuntur.

§. IV.

Igitur *ideæ* vel *simplices* sunt, vel *compositæ*.

§. V.

SIMPLICES id habent, quod per partes explicari nequeunt; vt ut percipio,

B

pio,



pio, me velle, me existere, aliquid lucere, & calere. Sat est, in perceptione huiusmodi nec genus, nec *differentiam specificam* distincte deprehendi. Hinc definiiri (*) non possunt: quam interea omnis cognitionis fundamentum sunt.

(*) Qui dicunt in contrarium, eas definiiri posse in λογωμαχίαν incidunt. Quæstio est, quomodo odor itemque sapor vnus ab altero, lux vna ab altera in *specie* possit discerni, ac differentiarum eorum clare ostendi? Quod enim in *genere* aliquid de hisce perceptionibus affirmari, vel negari queat, non pertinet ad κενόμενον. Quidquid de cetero differitur, per Synonima fit, quæ nihil peculiare detegunt. In definitione *differentia specifica* ante oculos constitui debet. Quod ratione perceptionum simplicium fieri nequit ab homine: quamuis certus sit, se aliquid diuersi percipere, ac sentire, easque perceptiones & sensationes inter se differre: quas differentias de reliquo enunciare nemo potest. Cedo enim, si vir es, discrimen odoris in

ro-

rosa & cariophyllo. De corpore odorato, de colore aliisque attributis sermo non est; eoque confit, aerem verberare, qui hoc loco *Lockium* cum *Glerico* confutare satagunt; quorum scripta & meditationes cum cura non sane legerunt isti.

§. VI.

Quo admissio consequitur certe, ut, quæ ad odorem, gustum, visum, sonum, tactum, volitionem, iudicationem referri nequeunt, non etiam percipiamus, neque cognoscamus.

§. VII.

Sequitur item, frustra nos conaturos excitare in aliis ideam, quæ sensus hominum fugit. Ipse Paulus in tertium cælum abreptus aliis patefacere nequibat, quod vidit & sensit. Perceptiones ac sensationes huiusmodi individua sunt, & cuius individuo propria.

§. VIII.

Hinc perperam quoque de gustu, coloribus, sono, seu auditu, tactu & odore, voluptate & dolore disputatur;

B 2

inde-

indeque prouenit, vt veteres & recentiores nigrum atrumque dicant, quod alii rursus cæruleum affirmant. Similes obseruationes in lite de numero oratorio occurrunt, quod singulari dissertatione ostendi. Adde motus ineptas definitiones pluresque Scholasticorum.

§. IX.

Sicuti vero è contrario IDEAE COMPOSITAE plures partes inter se distinctas continent, atque haud raro à nobis ipsis formantur; ita etiam diuidi ac definiri possunt, quia per partes cognoscuntur. Sic corpora, virtutes, virtia optime definiuntur.

§. X.

Quod eo commodius fit, si omnes partes aut saltem plurimæ animo nostro obuersentur, easque plene intelligamus.

§. XI.

Qua de causa recentiorum in rebus naturalibus definitiones pleniore sunt ceteris, quas dedere veteres. Exemplo sit doctrina de *magnete*, quæ occurrit apud antiquos, aliisque *naturalibus*

libus rebus ; quæ sane haud raro reperitur maxime ieiuna.

§. XII.

Vnde iterum liquet , falli novos philosophos, qui veterum scripta & dicta more Cartesiano explicant, aut suis ideis congruere Patrum Platoniorum notiones credunt, aut Iurisperitorum philosophiam ad Aristotelis libellam exigunt, aut ipsam scripturam sacram hodiernis Sophorum opinionibus, aut illi hæc accommodant. Quam ineptiam Joannes Clericus *art. Crit. part. II. Sect. II. cap. II.* bene detegit exagitatque.

§. XIII.

Omniū autem idearum numerus indefinitus est, quamvis fere ad *substantias, modos & relationes*, atque hæc iterum ad *ideas simplices* reducantur.

CAP. II.

CAP. II. SECT. I.

DE

IDEIS SVBSTANTIAE
ET MODIS.

§. I.

SUBSTANTIÆ idea rem per se ac seorsum existentem sistit, cuius existentia proinde alia est ab existentia cuiusvis alterius rei, cui certe non inest, sed statum suum separatim tuetur.

§. II.

Ea ratione si exponantur voculae *per se*, ferri potest Scholasticorum definitio, constatque hinc, substantias esse *innumeras*, non *vnam*: quod somnauit *Spinoza*, commutans & commiscens verba *per se* cum *à se*: indeque concludens, Deum solum esse *à se* adeoque *unicam* substantiam, ceterasque res omnes vnus illius substantiæ diuersas videri *modificationes*. In hoc totius Systematis latet *πεῶρον ψεύδος*, quod perperam defendere satagit *Kufflerus*.

§. III.

§. III.

Ita enim fit, vt definitio substantiæ, quæ recte sese habet in *abstracto*, & pluribus rebus numero carentibus applicari potest, applicetur rei vni in *concreto*, quæ determinatam habet existentiam à se, sophismate pudendo. Stulta quippe illatio est: Vna datur substantiæ definitio *vaga*: ergo vna substantia est *determinata*, ac ceteræ res omnes illius vnius substantiæ modi sunt, ac modorum variæ commutationes. Quod æque absonum, ac si quis adfirmaret, vna est *felis* definitio *vaga* & *abstracta*; ergo quotquot feles sunt, & vndique locorum inveniuntur, ac cernuntur vt seorsum existentes, illius vnius felis diuersæ tantum modificationes sunt.

§. IV.

Vtut vero adducta substantiæ definitio generalis admodum est clara; ad falsum tamen proxime accedit, nos omnium substantiarum singularium euidentes atque æque claras ideas habere. Quod Græcos *Aristotelis interpretes* ipsumque *Cartesium* decepit, hoc est, quod, quum viderent substantias de-

terminatas certis proprietatibus & qualitatibus esse conuectitas, in illarum qualitatum cognitione totam earum *scilicet* consistere credidere; non obseruantes, requiri omnino subiectum, à quo sustententur illæ proprietates, & in quo illæ inter se vinculo arctissimo sint connexæ. Quod interea latet, ita, vt Scholastici eo sensu haud temere adfirmarint, neminem mortalium vnquam *substantiam* vidisse.

§. V.

Substantiarum autem tres sunt species: *Deus, intelligentiæ finitæ, corpora.*

§. VI.

Igitur neutram accurate cognoscimus: etsi Cartesio eiusque affectis negandum non est, ideas de substantiis reddi tanto planiores, quanto plures proprietates in illis cognoscimus.

§. VII.

Hinc notio DEI clarior inter Christianos, quam paganos videtur: hinc in auri argentique naturam artifex melius, quam rusticus, vel etiam alii homines, penetrat.

§. VIII.

§. VIII.

Vt autem singularis substantiæ nomen haud parum obscurum est; ita substantiarum collectiones multo plus obscuritatis habent. Quod facile animadvertent, qui de exercitu, classe, prælio vel aliquid audiunt, vel legunt, vel ipsimet scribunt.

§. IX.

Sed cum tamen modi, quibus substantiæ circumdatæ comparent, non nihil lucis, ceu diximus, ostendant, substantiæque item modos plenius & clarius cognoscendos offerant, circumspiciendum est, quid sit *modus*.

§. X.

MODI vocabulo lubentius utimur, quam accidentis, aut etiam attributi: quandoquidem res quas consideramus, sub certa *ἕξει*, seu habitu, adeoque sub *modo* nobis sese sistunt.

§. XI.

ACCIDENS uti ab *accedendo* videtur dictum; ita existentiam habere propriam primo obtutu credi posset. Ex quo usu venit, ut scholastici accidentibus

B 5

sub-

subinde tribuerent, quod solis substantiis erat proprium.

§. XII.

Nec melior VOX ADTRIBUTI est. Qui enim aliquid rei adtribuit, iterum peculiare sæpe cogitat: eoque adiunctum in substantiam facile transformat, aut saltem *substantiue* de eo loquitur. Sic variæ homini cogitationes inanes obrepunt, ut nobilitatem, felicitatem sibi non nihil diuersi tribuere seque ea meliorem, & eminentiorem fieri existimet: ut taceam, quam varie multi adtributa diuidant distinguantque, ac si vocabulum esset ab vno per prius huic, per posterius alteri rei competens.

§. XIII.

Ergo MODI repeto nomen aridet; qui non habet existentiam propriam se iunctam à re, & substantia, quæ de cetero varias ostendit qualitates; &, quia hæ qualitates rem determinant, eamque in certo statu collocant, hinc substantiæ sub certo modo, ac habitu comparere inque *statu* certo versari dicuntur. Vox *status* iurisconsultis placet: cuius moris causa ex dictis pellucet.

§. XIV.

§. XIV.

Etsi vero nulla substantia sine modo percipitur; tamen modus & substantia maxime differunt. In quo ne quis fallatur, maxime interest, cum veteres & recentiores, Christianos & paganos, doctos & indoctos in hunc sæpe scopulum impingere quotidie obseruemus.

§. XV.

Hi modi vel sunt *interni*, vel *externi*, vel *simplices*, vel *compositi*.

§. XVI.

INTERNI velut rei affixi videntur, vt *rotunditas*: quæ interea non aliam habet existentiam, quam lignum, vel metallum, in quo animadvertitur. Eo vanescente vanescit rotunditas: hac pereunte non illico cessat lignum, metallumue: vtut figura, quæ rem in certo statu constituit, perit, cumque illa status ille certus.

§. XVII.

EXTERNI ex comparatione oriuntur, eoque relationes seu comparationes audiunt: de quibus postea.

§. XVIII.

§. XVIII.

SIMPLICES notiones ejusdem generis comprehendunt, vt *decus, biga, quadriga.*

§. XIX.

MIXTI diuersas, vt *pulchritudo, furtum, amor, odium.* Notiones diuersæ vero in vnius rei consideratione concurrentes eam difficiliorem reddunt; indeque fit, vt definitiones morales & iuridicas tiro-nes pluribus & variis simul cogitandis nondum assueti refugiant, aut saltem pro difficillimis habeant.

§. XX.

Vbi nec modi, nec substantiæ ideam habemus, vocem *nibili* adhibemus.

§. XXI.

NIHILUM vero neutiquam aliquid ponit, sed omnia remouet. Qui dicit, præter Deum ante mundum conditum nihil extitisse, remouet substantias & modos vniuersos, excepto supremo Numine. Hinc recte dicitur, nos de nihilo loqui, nec tamen nihilum cogitare, aut ideam, quæ sit positiuâ, excitare
con-

conari; & licet quis conaretur, ridiculus certe & contrarius sibi ipse foret. Saltem nemo cogitat montem sine valle, vt hunc terminum ore profert. Quare firmum manet, nos sæpe de eo, quod nec mente concipimus, nec comprehendimus, verba facere nihili plena.

§. XXII.

Et tamen termini negativi non semper exprimunt *nihil*, aut nihilum. Deus est *immortalis* sonat: *Deus est viuissimus*. Quales locutiones negantes per plures suppeditat ipsa Scriptura sacra rerum pondere graues.

§. XXIII.

Nec item ENTIA, quæ vocamus, RATIONIS & NON ENTIA eodem recidunt. Ea quippe reuera aliquid sunt, & existunt quoque in intellectu nostro & Dei potentia existere extra nos possunt. Hæc vero neque existunt in intellectu, neque extra eundem, neque vt substantia, neque vt modus concipi mente possunt eoque nec Dei potentia viribusque existere queunt. Quod exemplis facile declaratur.

CAP. II.



CAP. II. SECT. II.

DE

RELATIONIBUS.

§. I.

ET de relationibus vero agi etiam in præcedenti sectione potuisset, quia relatio certus modus est.

§. II.

Sed quoniam tamen ex externas denominationes progignunt, multisque veritatibus intelligendis viam sternunt, idcirco peculiarem considerationem huic rei destinauimus.

§. III.

Neque enim intellectus noster vni ita affigitur rei, seu obiecto, vt non transfiliat ad alia, eaque inter se comparet atque exigat.

§. IV.

Ergo omnis RELATIO est comparatio: adeoque, sicut comparatio, in intellectu, non extra illum quærenda.

§. V.

§. V.

Comparatio minimum res duas distinctas requirit.

§. VI.

Res sunt vel substantiæ, vel modi.

§. VII.

Ergo comparamus substantias & substantias, modos & substantias, modos & modos.

§. VIII.

Ergo omnia iudicia & ratiocinationes nostræ relationem includere videntur.

§. IX.

Ergo etiam omnis idea fundamentum relationis esse potest: sed quemadmodum dantur cogitationes vtilis & vanæ; ita etiam relationes inveniuntur vtilis, itemque vanæ.

Dicatur de *orationibus ludicris* Heinssii, aliorumque comparationibus prorsus ineptis tam sacris, quam profanis.

§. X.

Ex omni relatione resultat tertium, hoc est, externa quædam denominatio, cuius



cuius ope notas conuenientiæ, aut disconuenientiæ seruamus.

§. XI.

Ergo nota vocis relationem continentis est, si ea sine ideis aliis intelligi nequit. Ita patris, fratris, causæ, effectus aliaque innumera vocabula nemo capit, nisi qui rem aliam, ad quam referuntur, cognitam habeat.

§. XII.

Quo obseruato nemo ideam absolutam miscebit cum comparata, nec comparatam cum absoluta.

§. XIII.

Nemo itidem cum alio de comparatis contendet. Facile enim ad ostendendum est, raro colloquentes eandem mensuram in relationibus suis adhibere, quum de quantitate, excellentia, diminutione, mediocritate, honore, amore, æqualitate, inæqualitate, similitudine, dissimilitudine, tempore, *cetera*, calidi disputant.

§. XIV.

Ergo, si veterum scripta exponenda, ad hanc quoque attendendum mensuram

suram est, quod *Joannes Clericus* variis in arte critica exemplis demonstratum dedit.

CAP. II. SECT. III.

DE

IDEIS A DIVERSA CO- GITANDI RATIONE ORTIS,

§. I.

Diximus supra, modos cogitandi variare, quamlibet eadem facultas, idemque obiectum maneat.

§. II.

Sed inde vero fit, ut circa rem eandem diuersæ ideæ enascantur.

§. III.

Vel enim eam, uti est, seu *in concreto*, vel per mentis præcisionem, hoc est *abstracte*, vel *uniuersim*, vel *singulatim*, vel *adæquate*, vel *inadæquate*, vel *clare*, vel *obscure* cogitamus.

§. IV.

Inde ideas in *concretas* & *abstractas*,
C uni-

uniuersales, particulares, singulares, adequatas, inadequatas, claras & obscuras dispecimus.

§. V.

Qui rem, uti est extra intellectum, intuetur, is rem totam atque integram, seu, ut Scholastici loquuntur, *in concreto* contemplatur.

§. VI.

Qui vero mente non nihil præscindit, is *abstractionibus* indulgere dicitur.

§. VII.

Hinc notiones ideæ *concretæ*, quam alii realem vocant, & *abstractæ* pro- pullularunt, quibus alii *phantasticam* adjecere.

§. VIII.

Vti enim illa rei aliquid demit; ita altera adiicit: quamuis & hæc certa ratione appellari possit *abstracta*: nam cum hæc istaque addo & compono, aliunde sane abstraho, & præscindo.

§. IX.

Vtraque vero nostræ industriæ accepta ferenda est.

§. X.

§. X.

Vtraque à brutis maxime homines distinguit, doctos ab indoctis, ingenio & iudicio præditos ab imbecillis.

§. XI.

Quod enim valde compositum est, id in partes sane scindi debet, quo accuratius cognoscatur. Neque enim adeo vastam naturam hominibus mentem concessit, ut vno omnia obtutu comprehendere queat.

§. XII.

Itaque qui definire ac demonstrare gestiunt, mente præcipient, seu abstrahant necesse est.

§. XIII.

Omnes enim definitiones ac demonstrationes totum in partes secant, quas, quia ipsimet facimus, atque numeramus, plene intelligimus planeque: quamvis earum productio & generatio sine attentione & labore vix contingat.

§. XIV.

Hinc iuvenes, utpote voluptatibus dediti, mentis præcisiones in rebus feriis

riis respuunt, eoque demonstrationes fugiunt, quia à sensibus sunt remota.

Considerentur *abstractiones*, quas adolescentes, aliique homines vitiis dediti amant. Ostendatur, quomodo abstractionibus adfuefaciendi.

§. XV.

Ceterum caueamus, ne, quod mente separamus, ac separatim cognoscimus, seorsum credamus existere.

§. XVI.

Hic error multitudinem Deorum inuexit; in eundem multi philosophi inciderunt; idem in vitam ciuilem irrepfit, ac homines vmbromaticos ad rem publicam regendam ineptos effecit.

Dicatur de rebus publicis phantasticis. Quare *Epicurus* magistratum gerere detrectauerit? Inspergantur de *Machiavello*, *Boccalino*, *Grotio* nonnulla. Ioculatis error *Casparis Barthii* NUMEN IUNONIS ab ipsa *Iunone* diuersum credentis.

§. XVII

§. XVII.

Ab abstractionibus proueniunt ideæ vagæ: Neque enim homo multas animo agitare cogitationes posset, nisi modos vnius rei mente præscinderet, quos, occasione sic ferente, similibus applicaret. Hac ratione vero plura objecta inueniuntur, quibus *idea* seu, *conceptus* generalis & vniuersalis applicari queat.

§. XVIII.

Vt autem sine his ad exiguum cogitationes nostræ numerum redigendæ forent: ita etiam, eo auxilio sublato, sermonis quædam paupertas esset oriura.

§. XIX.

Eo enim pacto vnaquæque res singularis semper foret ante oculos habenda, nec absque molesta repetitione nominanda, si de re simili sermo fieret.

§. XX.

Igitur similitudo rerum singularium, quæ *individua*, vel *supposita* in Scholis appellantur, SPECIEI ideam genuit.

genuit. Similia vero videntur, quæ iisdem proprietatibus induuntur & determinantur; quamlibet nonnulla occurrant, quæ in iis, post maturiorem circumspeditionem, vtique sunt diuersa. Neque enim Petrus est Ioannes, neque *hic* Petrus, vtut sunt homines,

§. XXI.

Quando vero mens nostra longius procedit meditando, & species inter se confert, sicuti fecit, quum *indiuia* contempleretur; illarum similitudo *GENERIS* ideam suggerit; quam similitudinem intra se animus noster apprehendit, dum, quæ rei *priori* representandæ sufficiunt, apta quoque sunt representandæ *posteriori*. Vbi itaque nulla similitudo, ibi & *generis* & *speciei* notio vanescit: eoque genus & species ita differunt, ut hæc similes res *singulares*, aut indiuidua; illud plures & similes *species* comprehendat: quemadmodum *GENERA SUPERIORA* plura complectuntur genere diuersa in vno interea alteroque convenientia. Ita corpora & intelligentiæ pluresque aliæ res sunt *substantiæ*, inque eo conueniunt, & propter hanc similitudinem
sub

sub eodem genere collocantur: sed quia vero corpora inter se sunt dissimilia, pariter atque intelligentiæ, hinc mirum videri vix debet, vt, quod antea fuit species, iterum fiat genus, quodue genus, rursum species pro diuersa *relatione*, seu consideratione, itemque capaciõri, aut angustiõri mensura, ambituque, cui plures, vel pauciores rerum ideas cupimus includere.

§. XXII.

Quæ quoniam nimis videntur *subtilia*, simulatque ambigua; idcirco Iurisconsulti difficiles hasce nugas præteruecti GENUS appellarunt, sub quo similia comprehenduntur plura; & SPECIEM, sub qua nihil subsumi amplius potest. Ita equus est *genus*, hic *equus* species; cum e contrario ceteri Philosophi indiuiduum a specie, speciem a genere, ac genera superiora iterum ab inferioribus, mediis, seu & subalternis misera diligentia distinguant. Verum tamen notandum, *Platonem*, *Ciceronem*, *Seruium*, *Donatum* pari ratione speciem, quam dicimus, pro genere habere; indeque factum, vt aliqui speciem e numero *prædicabilium* censerent prorsus

C 4

elimi-

eliminandam. Quorum in classem *Apuleium* ipsumque *Aristotelem*, licet, referas.

§. XXIII.

Nec diffitendum, sermonem reddi magis vagum, & minus determinatum, cum major generi circulus tribuitur, qui res toto cælo diuersas complectatur. Vti enim cogitatio eiusmodi vaga, & parum certa; ita sermo similibus næuis subiicitur, ac logomachiis variis ansam suppeditat, quod eruditus *Webrenfelsius* in libello de *Logomachiis eruditorum* gnauiter obseruat.

§. XXIV.

Cui malo vt quadantenus obuiam iretur, DIFFERENTIÆ quæsitæ sunt, quas in *numericas* & *specificas* separant vulgo.

§. XXV.

Alii *essentias*, seu *formas* appellant: atque ideo *forma*, *essentia*, *differentia* synonyma sunt.

§. XXVI.

Quod tantum NUMERO differt, vt circulus a circulo, easdem qualitates con-

continet, eandemque figuram ac formam ostendit: ita vt solus numerus faciat discrimen; principio *individuationis* in naturalibus rebus latente: quod per *estates* suas exprimi interea Scholastici somniarunt posse.

§. XXVII.

DIFFERENTIA SPECIFICA VERO constituit *speciem* diuiditque *genus*. Sic, cum animali addis RATIONALE, *constituis* *speciem* simulque animal certa ratione *diuidis*. Quocirca nonnulli differentiam in *constitutiuam* & *diuisuam* solent dispescere: qua cura tamen neutiquam indigemus, cum diuersa duntaxat denominationo hic obseruetur, quemadmodum etiam altera differentiae diuisio in *genericam* & *specificam* maioris pretii non est. Nam cum hominem dico *animal*, eum quidem separo ab *inanimato*; sed id vero optime percipio, etiamsi nunquam audiuissem, in voce *animalis* differentiam genericam inueniri, inque *rationali* differentiam *specificam* latitare.

§. XXVIII.

Id certius, omni ferme in re inueniri *commune*, atq; iterum *singulare* ac *diuersum*.



sum. Quod in artificialibus & numeris rebusque moralibus, quas ipsi efficimus facile innotescit. Triangulus enim tribus lateribus constans similis est quadrangulo in hoc, quod habet latera; ac dissimilis, quod in illo tria, in altero quatuor reperiuntur; quam diuersitatem leui opera detegimus omnes: nec quisquam sanæ mentis figuram vnã cum altera confundet, quandoquidem in oculos incurrit, in quo conueniat utraque figura, in quo differat. Cuncta in propatulo sunt, nihilque latet. Atque eodem modo res sese habet in *entibus moralibus*, quorum genesis, progressus, fines ac termini itidem sine difficultate cognoscuntur; vt arithmeticas compositiones, & resolutiones silentio inuoluam. At in rebus, quas effinxit natura, multæ adhuc tenebræ occurrunt: nec multum didicit, aut profecit, qui hominem animal dicit, sed *rationale*.

§. XXIX.

Simile iudicium ferendum de *PROPRIO*; quod cum præcipuo modo, quem alij adtributum vocant quemque patefacit differentia, aut saltem patefacere debet, necessariam adeo connexionem

onem habet, vt inde credatur consequi. Nam perparum cognoscet, aut cognoscendum alijs dabit, qui leonem *rugire*, ac hominem *ridere* affirmet; itemque quod abest, aut adest ACCIDENS appellitet; ne dicam, *ridere* & *rugire* accidens semper videri potius, cum nec leo rugiat semper, nec homo rideat sine intermissione. Quin vix grande quid enuntiabit, qui propterea hominem potius *risibilem* & leonem *rugibilem*; aut nigredinem in Æthiophe accidens *inseparabile*, & capillatum esse *separabile* dixerit: vt omitam, nec *nigredinem* in Æthiophe adaccidentis ideam pertinere, sed differentiae constituendae potius fundamentum esse.

§. XXX.

Igitur apprime perspicuum est, ea, quæ recensuimus VNIUERSALIA, ad veritatem inueniendam & promouendam haud multum collatura. Neque enim aliud, quam mentis quædam fictiones sunt, certis nominibus insignitæ, quorum interuentu modos quosdam a rebus præcisos adseruamus. Rem ipsam interea non cognoscimus, sed nomina nominum colligimus efferimusque. Sane

ne qui hominem animal appellat & animal viuere adserit, & hominem rursus rationalem dicit, & ridendi facultate præditum, simulatque bene vestitum obseruat, cognitionem ostendit fat ieiunam, quam rustici habent meliorem, etsi differentia, generis, speciei proprii, accidentis aliisque tremendis vocabulis nunquam vtantur.

§. XXXI.

Quod vel *Porphyrus* eiusque sequaces non animaduertere, vel suos, quod est credibile, inani adfuefacere loquentia laborarunt. Idque dudum agnouere *Brunsmannus*, *Kufflerus*, *Clericus*, *Ratenbeccius*, & *J. Petrus de Crosta*: quorum postremus inter alia obseruat, methodum illam non esse profus spernendam in numeris & figuris, aut modis, quos ipsi intra nos componimus, in quibus nec genera, nec species, nec differentia nostram cognitionem effugiunt. Et hinc est, quod in moralibus, iuridicis, mathematicis nec genera, nec species, nec differentia, nec, quæ propria sunt, aut accidunt, profus negligantur.

§. XXXII.

§. XXXII.

In naturalibus rebus vero, quæ extra nos constitutæ sunt, magis determinatæ ideæ requiruntur, adeoque totius rei compages excutienda est, ut omnes partes in lucem profiliant, aut, si fieri id nequeat, satius profecto est, ignorantiam profiteri, quam de re ignota sine mente differere, hoc est, blaterare, aut βαττολογεῖν.

§. XXXIII.

Sed ubi vero nexus totius per omnes partes cognoscitur & intelligitur, & partium causæ, vires & quantitates, innotescunt, ibi idea adequata nascitur, quam haud temere PERFECTAM appellaueris. Neque enim plus, neque minus, quam est in re ipsa, percipies. Et perfectum autem est, ubi nihil superat, nihilque deest. Sed vereor, ut homini talis vnquam obtigerit idea rei extra intellectam existentis: eoque adæquatæ ideæ soli DEO sunt propriæ, quippe qui omnibus rebus a se conditis aliquid infiniti impressit. Quod vero ipsimet condimus & effingimus, id sane plenissime, secundum omnes numeros
cogno-

cognoscimus. Ceteræ imperfectæ manent. Saltem nec ipsa mens, nec corpus, nec Deus, nec res innumeræ aliæ adæquata ratione intelliguntur. Vnde si & alii de hisce loquuntur, imperfectas eos habere notiones credendum est.

§. XXXIV.

Quæ imperfectio maior fit, si multæ substantiæ cum variis modis, factis, adiunctis, euentibus & causis coniunguntur, quæ coram nemo vidit & distincte percepit, adeoque vti fuerunt, neutiquam concipere mente potest. Tales sunt ideæ historiarum, quarum tamen vna planior videtur altera.

§. XXXV.

Quod quanquam verum, non consequitur tamen, vt ideæ *inadequate* non possint esse aliquando claræ. CLARA enim idea dicitur, vbi repræsentatio non solum est viuida, sed & res vna ab altera bene distinguitur, certoque sensu dignoscitur. Simile a lumine ductum obseruamus, quod omnia collustrat.

§. XXXVI.

§. XXXVI.

OBSCURA idea e contrario appellatur, quando quidem aliqua *repræsentatio* occurrit, sed quæ non sufficit ad detegendam rem repræsentatam, ceu par est; nempe ut distingui ab aliis, & dignosci integre possit. Ea ratione intelligitur, quomodo nomen *ideæ obscuræ* defendi queat, quod aliqui rident. Nisi enim aliquid repræsentaretur, inconcinna sane vox esset *ideæ*, quam destrueret iterum adiectio *obscuritatis*.

§. XXXVII.

Vnde amplius sese dabit, an distincta idea à clara debeat separari? Cogitatio clara etenim est profecto distincta: nisi cum *Buffierio* Iesuita claritatem *cogitationis* differre à claritate *expressionis* statuas. Multa enim cognoscimus & distinguimus clare, etsi omnes notas & differentias numeratas non illico & distincte enuntiamus. Quod quum aliquando fiat, hinc nonnulli *distinctam* ideam & *claram* subtili animo discriminant. De quo cum nemine litigandum arbitror.

§. XXXVIII.



§. XXXVIII.

Similiter dicendum, *obscuram* ideam videri *confusam*, præsertim quum nulla alia reddi ratio possit, quare nec agnoscere, nec discernere rem objectam ab aliis queam, quam quia varia interjecta illamque rem ambientia obsistunt, ne lumen in anima oriatur, hoc est, clara mihi cogitatio obtingat: ut ut fat scio, esse viros celebres, qui in confusa idea *totum* quidem discerni adferant, non autem *partes* ac notas omnes; cum vicissim in obscura nec *totum*, nec *partes singula* dignoscantur. Sed puto, laterem lauari. Eo namque modo probatur tantum, obscuritatem aliquando obseruari maiorem, aliquando minorem, itemque confusionem maiorem ac minorem: ita tamen, ut vtrinque maneat confusa obscuritas, & obscura confusio.

§. XXXIX.

At noua quæstio est, an cum totum intueor, illius aliqua pars possit esse clara, altera obscura? Et non dubitem. Sed tum vero illa solum pars, quæ latet, & de qua parum rescisco, *obscuram*

scuram suggerere *ideam* recte dicetur, Altera vero pars, quæ mihi, quoad satis, innotescit, *claram ideam* dabit, & ab *obscura* jure separabitur. Quod vero plane dignosci non potest, sed omnem humanam notitiã effugit, non tam *obscurum*, quam *ignotum*, aut *incognitum* erit appellandum. Ceterum in transcurso notes, ab ætate *Cartesii* de claris & distinctis, de obscuris & confusis ideis multa cœpisse subtiliter disputari. Apud veteres altum fere de hisce quæstionibus silentium obseruatur, qui perparum studii claræ rerum cognitioni consequendæ consecrabant.

§. XL.

Quibus præmissis facile erit ad animaduertendum, fecisse claritatis & obscuritatis gradus diuersos, vt tum multiplicarent hac parte idearum voces, tum etiam Viri ceteroquin eruditi in varias inciderent logomachias: inprimis cum claritatem cogitationis & claritatem expressionis sæpius miscerent, eiusque discrimen securi negligenter.

§. XLI.

Ita enim factum, vt, quod clarum
 D est,

est, & distincte cognoscitur, enunciari posse crederent. Quod perspicue falsum. Distincte namque & clare percipio intelligoque diuersitatem quorundam odorum & saporum; nec quisquam forte me decipiet, nec ego me: & tamen enunciatio, seu claritas expressionis deficiet. Quod supra de ideis simplicibus iam monui.

§. XLII.

Quas è contrariò alii, consilio præcipiti, quia videlicet definiri non possunt, in classem obscurarum idearum, aut confusarum retulere, cum manifestum sit, non tam cogitationi distinctam claritatem deesse, quam verba deficere, aut etiam celerrimam impressionem, vt ut viuidam, aliquando non pati, vt numeretur, quod sentio, eoque partes, quæ simul irruunt, abesse censentur; aut denique aliorum imperitia & ignorantia in causa est, vt, quæ percepi & expertus sum solus, aliis, qui nunquam talia experti sunt, enarrare nequeam. Quod postremum in controuersia de mystica perceptione adnotandum existimem. Dari enim huiusmodi perceptionem, fortassis non est negandum

dum temere : quamlibet doctrina de mystica perceptione inanis & superuacua merito dicatur : quæ est acuta *Chireumontii* obseruatio.

§. XLIII.

An vero, si quid distincte & per partes enunciare possum, efficiat, aut saltem indicet ideam clariorem, disquiritur: suntque, qui putant. Sed ego distinguendum opiner. Etsi enim ratione tui, quem doceo, maius adesse lumen videtur, si me enarrantem intelligas; perperam tamen tute concluderes, carere me sufficienti lumine, si, quod distincte & clare percipio, verbis, aut signis exprimere nequeam; estque hac parte utique falsum, qui clare cogitat, clare eloquitur, aut eloqui istud semper potest. Ipse Deus nobiscum communicare plura nequit: non, ac si ipse sua nesciret, nec accurate & plenissime cognosceret; sed quia mortalium ingenia, propter suam competentiam, seu proportionem, vel deficientem experientiam ea intelligere nequeunt.

§. XLIV.

Interea per se patet, posse ide-

D 2

am

am obscuram reddi claram, si remouentur impedimenta, cumque primis in ideis compositis singulae partes & eas ingredientes notiones cum cura lustrentur, aut doctiorum auxilio ambigua refecentur, dubia probentur, ac quaelibet notio denique certis signis verbisque custodiatur. Quae verba, aut signa efficient, vt recordari eorum, quae detexisti, iterum queas, &, si res ferat, inuenire denuo prompte & sine difficultate aptus sis. Quam cognitionem Leibnitius *symbolicam*, ceu primam ipsarum rerum appellat *intuitiuam*. Exemplo fit figura trianguli. Illa dat cognitionem *symbolicam*, ipsaque laterum consideratio vero efficit *intuitiuam*; prorsus ac est in numerorum signis, quae sane differunt à numeris ipsis. Vnde discendi & clariorum idearum cupidi iam symbolis haud acquiescunt: vtut hisce ad generaliores notiones seruandas, amplificandasque tum nostras, tum aliorum cogitationes vtamur sapientius non sine fructu. Et ita vero vsu venit, vt nec hac ratione ideae simplices sint obscurae, sed clarae; nec compositae demum semper maneant obscurae confusaeque.

§. XLV.

Quod autem clarum est, ad consensum stimulat: quod obscurum, seu confusum, eundem cohibet: & aut admirationem producit, aut etiam, si spes maioris claritatis adipiscendæ affulgeat, ad contentiorem diligentiam contemplantantes accendit. Quæ si bene pensitaueris, non multum temporis tribues decidendæ quæstioni: *an intellectus sit liber?*

CAP. III.

DE

IGNORANTIA EIVS-
QVE CAUSSIS.

§. I.

Ignorantia absentiam cognitionis in-
nuit, quæ non minus, ac ipsa co-
gnitio, consideranda est.

§. II.

Eam non male in connatam, seu
INUINCIBILEM atque culpa nostra e-
natam, hoc est, VINCIBILEM distin-
guemus.

D 3

§. III.



§. III.

Priorem multi pro morbo mentis, aut intellectus venditant, ignari, homini, vtut sana mente prædito, certam scientiæ portionem diuinitus fuisse concessam. In quem scopulum *Poiretus*, *G. Mackenzie*, *Roetenbeckius* aliique impingunt.

§. IV.

Quare magis est, vt capacitas mentis suis ponderibus exigatur, ne inanis disputationibus fenestra aperiatur, nosque, vttilioribus prætermisissis, in iis detegendis ac perlustrandis hæreamus, quæ vires intellectus transcendunt, aut etiam ineptis querimoniis paginas impleamus.

§. V.

Quod vt apposite fiat, causæ ignorantiae inuincibilis inuestigandæ sunt, in quibus præcipuæ videntur 1) *egestas idearum earumque* 2) *obscura connexio*.

§. VI.

Deficiunt vero ideæ, vel, quoniam ea, quæ contemplari gestimus, sæpe a nobis remotissima sunt, vel nimis exilia, vel infinitis perfectionibus ornata

datus reddere laborent: in quibus celebris est *Gaukesius* cum aliis: quorum conatus interea non penitus despicio ac reprehendo, quum & verisimilia profint, concinnoque ordine possint exponi.

§. X.

Multo minus vero de Spiritibus & intelligentiis aliquid solidi mente comprehendimus. Nescimus namque eorum essentiam, seu *naturam*, differentias, proprietates, totumque mundum intelligibilem cum omnibus adiunctis. Quare & hic ideæ deficiunt; facileque cognitu est, quam exilis sit *Pneumaticæ* ac *Noologie* splendor.

§. XI.

Quin merito affirmatur, cognitionem naturalem, quam de Deo habemus, admodum esse imperfectam, quanquam de eius existentia, realitate, infinitate & perfectione generatim optime sumus instructi. At in quo *positivæ* illud perfectissimum atque infinitum speciatim consistat, splendide ignoramus; eoque ad *viam negationis* tendimus; nec tam efferimus, *quid sit*, quam *quid non sit*; quæ est S. Augustini ingenua confessio
in

in *Comment. ad Psalmum LXXXV.* Ad-
do; etiam perfectiones, quas Deo tri-
buimus, nondum PERFECTISSIMI na-
turam aperire: idque in Gundlingianis
part. XIV. obs. I. p. 321. seq. inuictis ra-
tionibus demonstrari.

§. XII.

Dictam ignorantiam altera *caussa*
magis auget, quam in *obscura idearum*
connexione posuimus.

§. XIII.

Quamuis enim corporum magnitu-
do, figura, motus diversas in nobis sen-
siones excitent; est tamen & manet oc-
cultum, quomodo contingat, quod per-
cipimus, quare id ratione efficiatur.

§. XIV.

Vnde quidquid in illis cognoscimus,
per experientiam particulatim cogno-
scimus.

§. XV.

Hæc autem particulares solum, non
generales ideas producit, quibus defi-
cientibus spes cuiuscunque scientiæ in
auras vanescit.

§. XVI.

Ergo RELATIONVM ideæ solæ supe-
rant,

rant, quarum vincula & connexiones adeo necessariae sunt, a nulla vt potentia, quantacunque etiam fuerit, nulloque arbitrio alieno dependeant. Sic is, qui generat filium, est pater, vt nec DEVS hanc immutare connexionem, seu relationem queat.

§. XVII.

Et tales relationes, quae in mathematicis ac moralibus frequenter occurrunt, discendo comprehendere vniversi fere homines possent, nisi propria culpa in ignorantia mallent hærere.

§. XVIII.

Quae consideratio alteram inscitiae speciem suppeditat, quam culpa nostra enatam eoque INVINCIBILEM appellauimus.

§. XIX.

Hæc facit, vt in vocabulis potius defendendis & feligendis, quam rebus exponendis desudemus, deque iis temere & ambitiose digladiemur.

§. XX.

Per has vero altercationes non augmentur scientiae, sed minuuntur; non inuenitur veritas, sed obscuratur, multisque

tisque velaminibus, ut vix appareat amplius, involuitur. Idque est, quod Franciscus Baco de Verulamio in libello, quem de *augmentis scientiarum* inscripsit, bene detexit.

§. XXI.

A quo malo nec Mathematici profus sunt immunes; inveniunturque & apud illos controversiæ, si utilitatis & gloriæ acquirendæ occasio interveniat; quod nec ipse diffitetur *J. Petrus de ROSA* dans ses *reflexions sur l'utilité des Mathématiques* p. 16. qui porro nec ab omni logomachia, nec obscuritatis vitio eosdem absolut: rarius licet de verbis disceptent, quam reliqua Magistrorum cohors, quibus in more positum, scientiarum nomenclaturas tremenda auctoritate stabilire, & artibus suis fines certos præstitueret, quos transilire nemo possit.

§. XXII.

Ex quo evenit, ut & *hæreseos* alter alterum in Philosophia accuset, ac *Carpentarius* cum discipulis suis *Ramum* interficiat. Quod de illo veterano referunt scriptores fide digni in vita *Petri Rami*. Estque dubium admodum, an
spes

spes meliorum temporum sit concipienda vnquam & vsquam,

CAP. IV.

DE NOMINIBVS IN SERMONE.

§. I.

Proximum est, vt, qui cogitant, & ideas mente tenent, verba circumspeciant, quibus eas custodiant, cumque aliis communicent.

§. II.

Sicut vero ideæ variæ sunt, itemque diuersæ; ita etiam vocabula varia excogitantur ac diuersa.

§. III.

Voces enim *signa* rerum sunt ac notionum, quæ de rebus menti nostræ obuersantur.

Inculcetur egregia similitudo, quam *Bernardus Lamius* in libello *Rhetorico de arte loquendi p. 1.* a pictura desumpsit.

§. IV.

Ergo tot vocum species numerabimus, quot notionum, seu idearum.

§. V!

§. V.

Substantiarum namque & *modorum* occasione nomine substantiua & adiectiua innumera innotuerunt : dolendumque duntaxat, modos ac relationes substantiue sæpius efferri, vnde errores profuxere perplures. (*)

(*) Commendetur TRIGNII *Grammatica generalis*, vt & GASPARIS SCIOPPII *Grammatica philosophica*.

§. VI.

Simplices ideæ vero vocabula, quibus ea, quæ ad sensus pertinent, exprimuntur, inuexerunt.

§. VII.

Corporum, virtutum, vitiorum, aliaque nomina moralia compositas ideas signant.

§. VIII.

Relationum soni infiniti sunt.

§. IX.

Notiones vagæ appellatiua genuerunt ; sicuti singulares nominibus demonstratiuis & propriis originem dedere.

§. X.

§. X.

Talia vero, quæ essentias significant, nusquam occurrunt, nec in vlllo idioma-
te comparent. Hinc Scholasticorum
Petreitates & Pauleitates, illeitates &
hæccitates vsus respuit, quibus inter
Græcos philosophos Plato & Parmeni-
des prælusere, quos interea Diogenes
Cynicus false derisit ob commentitia
τραπεζότητος & κυκλότητος nomina.

§. X.

Adæquatarum notionum signa ra-
rissima sunt, cum vicissim inadæquata-
rum & obscurarum innumera obseruen-
tur voces.

§. XII.

Cuius rei causa est, quod de quam
plurimis rebus loquimur, vel differere
cogimur, quas nec plane intelligimus,
nec intelligere possumus, nec, si posse-
mus, exacte consideramus: ita vt non
male vulgus linguas inuenisse plurimas
dicatur.

Differatur de abusu, quo multi abrepti de
rebus incomprehensibilibus loqui,
quam tacere malunt; quibus locus

Augu-

Augustini de vita Clericorum ad Nepot. p. 14. commendandus, cum aliis huius docti Patris dictis,

§. XIII.

Itaque falluntur, qui voces natura sua aliquid significare statuunt, in quibus diuinum Platonem, Böhmiū, Quirinū Kuhlmannū deprehendimus: omnes quippe ab hominū arbitrio dependent. Hinc tanta linguarum dissimilitudo, inde tot ambiguae & figuratae voces, ac nullius potestatis nomina: quamuis sibi persuadeant saepe ineptuli, se rem exprimere, aut etiam mente comprehendere, quando inane verbum proferunt, eoque veluti infantes, accatuli ludunt. Hinc optarunt eruditi, vt nouum excogitaretur idioma, aut signa inuenirentur, quibus sine periculo vterentur & scribentes, & loquentes philosophi.

§. XIV.

Vnde fit, vt in veterum scriptis in expugnabiles saepe difficultates atque obscuritates inueniantur, quae criticis herculeum laborem obiciunt, quos populari errore interea omni acumine iudicii

dicii vulgo spoliant, ipsi hellebore indigentes.

CAPVT V.

HISTORIA LOGICAE
VVLGARIS, AC SPECIA-
TIM PARTIS
PRIMÆ.

§. I.

ATque ita quidem, si de rebus ac nominibus philosophati fuissent vulgo, forte nouorum hominum querimoniam cessarent: nemo logicorum artem contemneret, nemo eorum ineptias rideret.

§. II.

Sed, quamuis simili, qua nosmet vsi sumus, methodo uti voluerint, atque in parte prima eadem cognitionis initia ducere laborauerint; statim tamen rerum sunt obliti, atque in vocabulorum corticibus hæserunt.

§. III.

Hinc primam tractationem terminis, seu notionibus simplicibus destinarunt; quas in nominales ac reales distribuere.

§. IV.

§. IV.

Illas in antepredicamentis formare docuerunt, has in predicamentis.

§. V.

Vnde de paronymis, homonymis, synonymis, analogis, vocabulis ab vno, abstractis, concretis in antepredicamentis egerunt, addentes, quid sit cum complexione, vel sine complexione dici.

§. VI.

Antepredicamenta autem vocarunt, quia Aristoteles initio libelli de categoriis aliquid de his vocibus est commentatus.

§. VII.

Et tum vero demum ad categorias, Aristotele duce, pedem mouere, quas rerum classes appellarunt, seu notionum realium capsulas, vnde omnis *μαθήσεως* ac sermonis principia desumerentur, atque imprimis syllogismorum quorumuis stamina.

Vtrum Aristoteles libri de Categoriis auctor? an a Pythagora eam methodum mutuo acceperit? quod adfirmant nonnulli.

E

§. VIII.



§. VIII.

Et cum ad categoriarum librum intelligendum quinque vocum, seu prædicabilium, de quibus Porphyrius scripsit, institutionem prodesse Scholastici crederent, etiam hisce *Φωναῖς* locus est relictus; quamlibet Aristotelicorum nonnulli invidis oculis adspicerent, Porphyrium iungi τῷ πρώτῳ.

Differatur de *Micheale Piccarto* eiusque *Isagoge in Philosophiam Aristotelis.*

§. IX.

Postea cum iidem animadverterent, Stagiritam, absolutis categoriis, de contrariis, ac modis, quibus aliquid prius, aut simul esse dicitur, egisse, itemque de generibus mutationis, motus, & vocabulo *ἔχειν*, seu *habere*, idcirco postprædicamentis quoque peculiare caput assignarunt.

§. X.

Quid vero his nugis, quæso, lucrabitur philosophia? Res vulgares & omnibus notas novis, & quidem obscuris vocabulis involuebant; de iis plures atque innumeras fere regulas, quas nemo

mo est negaturus, formabant, eaque ratione ineptarum vocum dictionarium discipulis obtrudebant. Unde contemptus Logicæ in mores irrepsit, ac doctoribus pædantissimi maculam affricuit. Neque enim Philosophia verborum, sed rerum est.

LOGICÆ PARS II.

CAP. I.

DE IUDICIIS.

§. I.

Non sufficit idea, quando perficere cognitionem tuam satagis, plures requiruntur.

§. II.

Quæ, ne sint inutiles; aut coniungendæ sunt, aut etiam, ne pariant confusionem, seiungendæ.

§. III.

Non poteris autem coniungere, non itidem separare, nisi vnam & alteram habeas exacte cognitam.

§. IV.

Iunctum, vel seiunctum vocatur præ-

E 2

dica-



dicatum, id, cui aliquid adiungitur, vel a quo aliquid separatur, appellatur subiectum. Aut brevius: subiectum est includens, inclusum prædicatum & sic contra.

§. V.

Iungere vero, vel separare ideas iudicare est, vt intueri eas, percipere.

§. VI.

Ergo temere iudicabis, nisi accurate circumspicias subiectum, quod continet prædicatum, aut rite consideres prædicatum, quod illustrat subiectum. Sic idea numeri paris latet in senario; & ea tamen magis illuminabit senarium, tanquam subiectum, quia, cum nomen senarii audio, non statim de æqualitate, aut inæqualitate numeri cogito.

§. VII.

Ergo, vbi nihil luminis subiectum accipiet a prædicato, iudicium nugatorium euadet. Quid enim in recessu habent hæ voces: arbor est arbor, Petrus, est Petrus, virtus est virtus?

§. VIII.

Ergo in omni iudicio duæ minimum ideæ inter se comparantur, quarum vna vel continet alteram, vel excludit.

§. IX.

§. IX.

Quandiu comparationem mente tenemus, ea *iudicii* nomine insignitur; quamprimum autem verbis enunciamus, *propositio* audit, seu enunciatio.

§. X.

Medium comparandi *copula* vocatur, eaque vel per verbum est exprimitur, vel in verbo latet.

§. XI.

Ex ista comparatione vero *propositio* vel fit affirmans, vel negans.

§. XII.

Affirmare enim nihil aliud est, quam, post maturam circumspectionem, statuere, prædicatum contineri in subiecto. Ita, cum aio, triangulus est figura, adfirmo sane, hanc reperiri in triangulo.

§. XIII.

Negare significat prædicatum a subiecto excludere, eaque exclusio ex natura subiecti fluit. Quando enim nego, hominem non esse elephantem, cuius perspicuum est, hominis naturam non
E 3 pati,

pati, vt vel dicatur elephas, vel ea ratione consideretur.

§. XIV.

Ergo diu conquirenda non sunt prædicata: frustra excutias prædicabilium, & categoriarum circulos: res ipsa inspicienda est, & prædicata oculis contemplantium occurrent.

§. XV.

Interea tamen non est putandum, prædicatum semper vicissim posse fieri subiectum, & hoc prædicatum: sufficit, si nihil inueniatur in prædicato, quod non lateat in subiecto. Ita Professor potest dici doctus, tametsi non omnis doctus appellatur professor: sufficit doctrinam inueniri in subiecto, seu professore. Reciproca prædicatio vero locum habet, vbi prædicatum exprimit rei essentiam.

§. XVI.

Simili ratione non est necesse, vt, quando nego, natura subiecti omnes excludat prædicati qualitates: sat est, si quasdam excludat. Sic, cum inficior, actionem esse bonam, non requiritur, vt omnia in actione, quam signo, sint mala:

mala: contentus sum, si nonnihil obseruetur, quod a legis & virtutis norma aberret.

CAP. II.

DE

IVDICIORVM ET PROPOSITIONVM VERITATE AC FALSITATE.

§. I.

Affirmatione & negatione recta ac concinna dependet VERITAS iudicii.

§. II.

Iudicium est vel *mentale*, vel *verbale*. MENTALE dico, quum ideas mente sola iungo, vel disiungo. Et hoc verum est, quando cum SVBIECTO *iungimus*, quod in illo reapse observatur *iunctum*, & ab eo *distinguimus*, quod cum subiecti natura apertissime *pugnat*.

§. III.

VERBALE vocatur, quod verbis includit ideas iunctas, vel disiunctas, vocatur-

E 4

catur-

caturque vno verbo *enunciatio*, seu *propositio*.

§. IV.

Idque *verum* est, quando signa exprimunt, quod reuera est coniunctum cum subiecto, aut ab illo diuersum distinctumque.

§. V.

Vnde recte monent, ideam subiecti & ideam prædicati debere prius rite circumspici; deinde jungi, vel disiungi, ne simile habeatur, quod est dissimile, aut dissimile quod simile. Vno verbo: cogitationes enunciationi, hæcque illis & res ipsæ debent conuenire, vbi de veritate quis cupiat esse certus.

§. VI.

Quare ieiuna altercatio est, vtrum res intellectui, an *intellectus rei*, itemque *enunciatio*, seu *propositio* vtrique debeat esse conformis? Reciproca enim *consensio*, conuenientia & *conformitas* requiritur.

§. VII.

Consensio sentitur, & clare animo repræsentatur. De *claro* nemo dubitat, quia

quia clarum est: ideoque CLARITAS, seu euidencia CRITERIVM veritatis manet, quidquid in contrarium ab hominibus parum prouidis garriatur.

§. VIII.

Illam autem conformitatem, vel difformitatem nec ab hominis, quid? quod nec a Dei arbitrio amplius dependet. Essentiam namque rerum sunt aeternae, hoc est, quamcunque Deus naturam, seu essentiam unicuique rei destinavit ab aeterno, illam retinet sane, ita ut nihil addatur unquam, aut dematur, aut addidemiue possit, postquam is semel *sapientissime* omnia dispensauit. Vel enim in melius verteret, vel deterius. Si prius non fuisset sapientissimus, quandoquidem imperfectum condidisset; si posterior, sapientia nunc eum deficeret. Vtrumque igitur cum sit absurdum, Numenque aeternum sapientissime liberauerit cuncta; ac singulis rebus suam *competentiam* dederit, easque suis limitibus circumscripserit ac proprietatibus & qualitatibus determinatis dotauerit; idcirco fieri nequit, ut post illam determinationem aliquid iungas vere & cum ratione, quod non inuenitur re-

apfe iunctum, aut disiungas cum ratione, quod clare ad subiecti naturam eiusque proprietates determinatas pertinet. Qui secus faceret, diuinum vniscuiusque rei ordinem peruerteret, idque, quod re ipsa est, statueret non esse, quodue non est, esse. Ita qui hominem voluptatibus sine modo indulgere debere affirmaret, aliquid naturæ eius contrarium amplecteretur pro vero. Cuiusmodi ius non habet mortalium quisquam, quia ita Deus formauit humanam naturam, vt, quod ei tribuis, esset illam certissime destructurum. Vnde perspicue *iunctum*, seu *prædicatum* tuum falsum foret. Quod *Wolozanus* Anglus in libello de *religione naturali* imprimis vrget,

§. IX.

Quocirca manifeste ineptit *Cartesius* qui, vt aliquid verum sit, vel falsum, in Dei libertate & arbitrio positum amplius existimat: quod sane horribili *Scepticismo* fenestram aperit; cum nemo certo posset scire, an, quod olim verum, nunc sit, aut quod nunc est, aliquando sit futurum. Quod *ἀπορον* bellissime confutauit *Petrus Bahus*, quem propterea

terea mirifice laudat *Leibnitius*, qui se *Asodimov* appellavit.

(*) Dans la continuation des pensées diuex.
ses sur la Comete p. 770. seq.

§. X.

Nec rectius sensit *Hobbesius*, omnem veritatem in nominibus consistere opinatus eoque quantus, quantus Nominalis. Quod indicio est, cum nec nomen, nec rerum naturam, quoad satis, circumspexisse, cauendumque propterea, ne eius affecta nouum *Scepticismo* auxilium præstent, veritatemque in sonum arbitrarium transforment. Quis enim ferat, virtutem dici libidinem, aut libidinem virtutem eo, quo alioquin hæc voces cognitæ sunt, sensu?

§. XI.

Igitur cum veritas rerum sit deque illis aliquid vel affirmandum, vel negandum, consequitur, vt nexus inter subiectum & prædicatum clare cognitus vnumquemque conuincat, & iudicium & enunciationem, cui istud includitur, congruere veritati, ac certum esse omnino, quemadmodum vicissim, quod repugnat subiecto, inque eo nec reperitur, nec
ulla

vlla ratione illi adiungi potest, contemplantibus indubitatum argumentum suggerit, affirmationem esse falsam & a veritate abluere; quin & negationem esse absouam, si, quod iunctum evidentibus signis cum subiecto deprehenditur, separare ab eo audeat quisquam.

§. XII.

Secus si foret, inquirendum esset certe, quid nos deciperet? an nos ipsimet? Atqui præpono, me summa attentione in ideam vtramque, aut plures mentem defixisse, & nexum earundem clarissime obseruasse. An Deus? sed id suspicari nefas: quamuis reuera id facere & Deum accusare videatur, qui per claram distinctamque perceptionem falli nos posse credat. Vnde mirum, potuisse hominem sana ratione præditum hac de re generatim dubitare vnquam. Quæstio, an quis clare perceperit, facti (*) est, & statum controuersia non tangit.

- (*) Qui hic repugnant, amplius putant indagandum, quomodo nempe certus esse queam, an clare perceperim? Quod idem est, ac si quis vltius putet indagandum, an iam scribam? Et scri-

scribo enim certe; & sentio et intelligo igitur, dum intueor nexum inter extrema, quæ convenient, aut differant. *Filius habet patrem* certum est ac verum. Cur? Quia alias non esset filius. Ac puto, id evidens esse. Maiorem si qui in his terris flagitet euidenciam, nã ille in obscurissimorum virorum numero esset collocandus.

§. XIII.

Sicuti nec altera ad rhombum facit: an quod *ego* nec clare, nec distincte percipio, statim sit falsum? Multa enim vera esse possunt, quorum cognitionem certam nondum acquisiui. Igitur cohibenda est præceps negatio, sicuti itidem affirmatio, donec difficultates facessant, atque lux e tenebris prodeat dubiaque ideæ dispellant euidenciores.

§. XIV.

Sed fac, nexum inter duo extrema non cerni, principiaque, vnde conformitas, vel difformitas subiecti & prædicati deduci debeat, *vires intellectus humani* superare, nec ullam diligentiam
ad



ad percipiendas ideas coniunctas suffice-
re; tum quidem actum videbitur esse de
certa ac solida scientia; non autem si-
mul erit desperandum de veritate; quia
quod Deus dicit, verum est. Idque cla-
re & solide, adeoque huius enunciatio-
nis nexum ac veritatem distincte
percipis. Verum quum sumis: *hoc
Deus dicit*, tum facti quæstio emergit
iterum, *an Deus id dicat?* Hinc scriptu-
ræ diuinitas in tuto collocanda, excu-
tienda verba, finis, adiuncta, ante-
cedentia & consequentia lustranda: do-
nec certus euadas, *an Deus hoc dixerit?*
Si ita, conclusio creditur, quia Deus est
fide dignissimus, sicque id, quod dici-
tur, pro veto habetur *ἐμμέσως*, atque in-
teruentu alterius enunciationis, quæ v-
tique est euidentiissima. Sin contra, hoc
est, si assumptionis, & facti veritas defi-
ciat; tum vitio verti nemini debet, si aut
negetur obscura conclusio, aut, vsque
dum maius lumen affulgeat, aut facti
quæstio *melius* dilucidetur, saltem ex
modestia, iudicium suspendatur.

§. XV.

Quod vltimum tamen exigi nequit,
cum prorsus repugnantia iunguntur. Ne-
que

que enim illa intelliguntur, neque creduntur: vt recte *Turretinus* in dissertatiuncula: *an contradictoria possint credi?* Contradictoriorum namque nulla idea est. Quod vero fide apprehendendum, præponit minimum, ideas posse iungi; vno verbo, *possibilitatem*, ne videlicet idea vna alteram aut excludat, aut plane destruat. Hac ratione mysteriis diuinis nullum periculum imminet, quæ contradictoria non sunt, nec, quod *ex ratione verum*, evertunt: vt taceam, nullam enunciationem, quæ in philosophia vera, falsam esse in theologia: cum lumen lumini, nec Pater luminum vtrquam sibi aduersetur; in primis si ponas, in vtraque disciplina illam adhiberi significatione eadem. Ita *virgo non parit* virtute propria; estque hæc enunciatum in vita humana & philosophia, tum in Theologia verissima.

§. XVI.

Ceterum nemo inficiabitur, *aliam esse certitudinem*, quam habet Deus, *aliam*, quæ est futura in cælo, quæue obtinget beatis. Sat est, hac in terra sufficere CERTVM, quod interventu sensuum ac ratiocinationis nobis obtingit.

Quo



Quocirca admodum fallitur Huetius, (*) qui, quod hac in mundi scena percipimus, pro incerto habet, quia beatorum cognitio futura sit limpidior. Quod quadantenus permittam. Dubito autem valide, an ipsi angeli melius & clarior percipiant, bis duo esse quatuor, quam nos percipimus nunc.

(*) de *la foiblesse de l'esprit humain* lib. I. cap. I. p. 19. seq.

§. XVII.

Vnde mirifici fere sunt, ne quid acrius dicam, qui omnem sensibus fidem abrogant, & sub dubitationis velo in Scepticorum ac *Pyrrhoniorum* castra transeunt, aut *Idealistis*, qui nihil extra se putant existere, sese sociant, aut *fi.lem* vndique, & Dei illuminationem in rebus sensui obuiis ridicule exposcunt.

§. XVIII.

Neque enim vnquam fallunt sensus, si sunt sani, & recte adhibentur, h. e. in competenti distantia, ac decenti ordine, nec vnus, sed plures aliquando in subsidium adsciscuntur, ceu res poscit. Secus si facis, tum non tam sensus

denique singularem prouidentiam affectat, ne cum dogmaticis, qui nonnunquam errarunt, idem sentire videatur, sed quam longissime ab eorum sese decretis alienet, in Scyllam incidens, dum vitat Charybdim.

§. XX.

Idealistæ vero sicuti omnium sunt stultissimi; ita parum laboris eorum confurationi destinandum: etsi quidam difficulter eos refelli posse credit. Ego enim stultos plane non refellendos, sed helleboro purgandos censeo. Interea tamen, si quid dicendum & ad eorum stultitiam retundendam excogitandum, quærerem ex iis: an obseruassent unquam, se statura minore, aut paruulorum in numero fuisse? Si hoc, extra mentem atque ideam eorum adest sane corpus, quod augetur & crescit. Sin negarent, se illius rei, aut mutationis reminisci; ad Anticyras eos nauigare iuberem. Quid enim præiudicii sentiret veritas, aut bonum publicum, si hominem dementem vel Egoistam dementiæ suæ conuincere nequirem?

§. XXI.

Pariter res sese habet in ceteris, qui

FIDEM

FIDEM exposcunt in rebus, quas sensus discernit & offert. Neque enim unquam acquirunt *fidem*, nisi audiant verbum Dei, legantue scripturam eoque videant, quid legant, expendantue. Igitur sine *fide* sensus ostendent, talia statuentes non credere, sed sentire, & sensibus credere, dum putant, se a sensibus decipi, & diuina duntaxat fide animari. Sed hoc est illud perniciosum commentum, potuisse Deum nos ita creare, ut, quæ percipimus sensu & animo, falsa sint & erroris plenissima; ac consequenter nouo ac diuiniore lumine opus esse: cum tandem, qui se totos hac parte *uiuinos* putant, nihil aliud cognoscant intelligantque, quam quod abiectissimus quisque sine fide cognoscit. Unde fiet, ut, dum rationem ac sensus deprimere gestiunt, fidem suam prostituunt apud omnes, ac fanatici audiant, enthusiastæ, id est, stulti. Cum stultis vero disputabimus nunquam.

§. XXII.

Vnde retro pedem alacres mouemus, & in clara ac distincta sensuum ac mentis perceptione, quando de veritate quaestio erit, merito acquiescimus: ad-

F 2

den-

dentes, neminem facile *veracitatem* cum veritate logica confusurum; ac multo minus *veritatem in taphysicam*, dum res tanquam vere existens ponitur, cum eadem veritate *IVDICII*, quod ut *mentale & verbale* distincte considerauimus hactenus.

CAP. III. SECT. I.

DE

VERITATIBVS PRIMIS,
SEV PRINCIPIIS.

§. I.

Nisi darentur veritates, seu *principia*, quæ omnis demonstrationis essent expertia, nunquam perueniremus ad certum.

§. II.

In infinitum namque probationes extendendæ forent. in infinitum autem probare idem est, ac perpetuo incertam manere.

§. III.

Quocirca admittendæ sunt veritates indemonstrabiles, quæ sensuum beneficio,

cio, ac, quæ illis innitur, ratiocinatione patefcunt.

§. IV.

Tantum quæritur, vtrum vna fit eius generis veritas, vnum principium, vt ceteræ veritates in illo lateant omnes?

§. V.

Nos distinguendum cenfemus inter veritatem primam & indemonftrabiles.

§. VI.

Harum plures funt. Illa vna eft.

§. VII.

Quod difcrimen neglexiffe videtur vir clariffimus *I. P. Crofa.*

§. VIII.

Nam cum vidiffet, plures dari veritates determinatas, quæ demonftrari nequeant, concludit, fruftra quæri vnum principium.

§. IX.

Postea vero quam vniuerfales veritates a fingularibus oriri, & præcidi intelligeret, exiftimauit, fingularem veritatem potius habendam pro prima, quam vniuerfalem.

F 3

§. X.

§. X.

Sed in logomachiam incidit. Prima enim veritas Philosophis vocatur non, quæ primo cognoscitur, sed per quam ceteræ omnes probantur, aut quæ rationem omnium aliarum veritatum in se continet.

§. XI.

Itaque enunciationem vniuersalem omnes flagitarunt, qui de primo principio aliquid sunt commentati.

§. XII.

De illa auctores acerrime disputarunt. Omnis vero contentio eo videtur recidisse, vt, cum viderent, suam non demonstrari posse veritatem, eandem appellarent primam. In hunc lapidem *Cartesius* impegit. Est enim eius cogito, ergo sum, indemonstrabilis & certissima veritas, non autem prima, non vniuersalis, sed singularis.

§. XIII.

Ceteri in eo peccarunt, vt, cum animaduernerent, suam esse vniuersalem, eandem existimarent indemonstrabilem. In hanc classem scholastici, alique referendi sunt.

§. XIV.

§. XIV.

Itaque ad primum principium bina
requiruntur: vt sit 1) indemonstrabile,
vt itidem 2) vniuersale.

§. XV.

Ac tale non nisi vnicum esse potest.
Nam si forent duo, vel coniungerentur
inter se, vel disiungerentur. Si prius,
sine dubio coniungerentur per tertium.
At sic illud tertium foret primum, eo-
que vnum; sin posterius, veritas verita-
ti contraria foret, lumen lumini: quod
esset absurdum.

Hæc ratiocinatio illustri *Thomaso* debetur.

§. XVI.

Quamobrem in illud curate inqui-
rendum, sique inueniatur, indicandum
est.

§. XVII.

Et animaduertimus autem, atque
eticimus, sensus nunquam fallere, de-
inde prædicata inueniri in subiecto, aut
non inueniri. Qui dicit *inueniri*, affir-
mat; sique, quod affirmat, verum exi-
stimat, ostendat necesse est, istud late-
re, aut si mauis, deprehendi in subie-

cto, eiusque *idea*, quam alioquin *definitionem* appellauimus. Nemo enim *subiectum*, aut etiam *predicatum* intelligit, nisi eius habeat *definitionem*, cuius operem vnā ab altera distinguat. Definitionem hanc cum *Epicuro* ANTICIPATIONEM VOCES, AN PRÆNOTIONEM mihi nunc perinde erit.

§. XVIII.

Iam igitur cum de veritatibus, quæ per sensus innotescunt, sermo instituitur, recte aio, eas probari per sensus. Ita verum est simul atque certum, *trianguli figuram constare tribus angulis*. Ecur? Quia id, quod adfirmo, sensibus congruit. Dum verò hanc causam adduco, pono hoc principium generale: *Quidquid sensibus congruit, verum est*. Si quis vicissim *neget*, triangulum constare tribus angulis, iure dico, falsum id esse. Ecur? *quia sensibus repugnat* festinata negatio. Idcirco quod affirmata ratione extuli, effero nunc verbis negantibus: *Quidquid sensibus non congruit, seu, quod eodem recidit, repugnat, id verum non est*. Quod verum non est, *falsum est*, ceupatet ex allato themate. Qui sensibus

sibus autem aliquid repugnare statuit, per sensuum testimonium id refelli indicat.

§. XIX.

Sed fac, sensus non sufficere ultimo ad probandam veritatem iudicii, tum sane inquiri cum cura, an *idea* subiecti, seu *definitioni* eiusdem *idea*, seu *definitio* prædicati congruat, quam utramque mente anticipavi, & teneo, inque iis prænotationibus alios mihi consentientes habeo e. g. *imperanti est parendum*. Scio, quid sit *imperans*, quid itidem *parere*, seu *obedire*. Hoc prædicatum non solum fert subiectum, sed & in eo latet. Ergo inquam: enunciatio hæc vera est, quia *idea* prædicati congruit *idea* subiecti. Neganti vero repono merito: Tua negatio repugnat *idea* subiecti, idque remouet, quod prædicatum non solum esse potest, sed & debet: igitur repugnat, & vera non est *enunciatio* tua negans, seu *iudicium* tuum sensum negantem continens. Igitur in genere adsumo hanc PROPOSITIONEM: *Quodcumq; prædicatum, aut quæcumque idea, seu definitio prædicati definitionem subiecti subruit* (quod idem sonat. ac

F 5

NON

NON CONGRUIT) *falsa est sane*: sicuti vicissim certissimum habendum: *Quotcunque* PRÆDICATVM *ideis*, seu definitionibus SVBIECTI congruit, verum est. *Quodcunque* rursus sonat: quæcunque IDEA prædicati, aut DEFINITIO prædicati. Definitio *ideam* continet, *idea definitionem* signat.

§. XX.

Quibus præmissis vix amplius vereror, ut litem mihi sit moturus quisquam de primo veritatis principio: præfertim cum luculentius pateat, quid significant voces *idea*, *definitio*, *congruere*, seu *conuenire*, item *repugnare*. Ac multo minus credendum, suspicari quemquam serio posse, me de veritate physica, aut metaphysica differere, ut qui potius de NEXV prædicati & subiecti, eorumque ideis, seu conceptibus, definitionibus, quæ inter se debent conuenire, loquor. Nec ambigo, quin etiam vocem *quidquid* sint intellecturi, utpote cui, (iterato moneo) *equipollet*, quodcunque *prædicatum*, aut *quæcunque idea prædicati*. Addidi haud temere, me de nexu prædicati & subiecti logico verba facere, ne iterum obducant mihi, prædicata

dicata sola non efficere enunciationes. Id enim infirmissimi ingenii homines non ignorant. Et interea vero nullo alio principio me indigere, quam quod explicatius proposui, ingenue fateor. Aut enim a sensibus auxilium exigo, aut a definitionibus subiecti & prædicati: quum probatione opus, veritasque philosophica & solida est diiudicanda, non autem nugatoria, aut quæ sit meri facti, quod Papa ignorat, aliisque modis in luce constituitur nonnunquam: de quibus Sect. III. dicetur. Id autem quod sensibus & definitionibus rerum certis conuenit, rationi conuenit; quemadmodum quod nec sensibus nec definitionibus rerum, quæ includuntur in subiecto & prædicato, conuenit, sed potius repugnat, indubie rationi aduersatur; eoque merito concluditur, enunciationes veras esse, quæ exprimunt res, uti sunt; ceteras falsas.

§. XXI.

Hæc paullo copiosius, quam in prima editione, quoniam sinistre meam sententiam intellectam a *viro* clarissimo deprehendi breuius olim propositam; nec poenitebit legisse in Gundlingianis
obser-

observat. 2. part. XXVII. itemque obs. 3 part. XXXII.

§. XXI.

Quibus adliciendum puto, quare decantatissimum principium : *impossibile est id in simul esse, ac non esse* hoc loco non approbem *prorsus*. Dico NON PRORSUS. Nunquam enim negabo, posse inde demonstrari, quæ enunciatio sit *falsa*; sed merito interea negavi, negaboque in posterum, inde indubie *semper* demonstrari *verum*: quidquid distinguas inter cognitionem directam & indirectam. Etli namque permitto, facere aliquando principium *contradicti nis*, ut e contrario illuceat *verum*; sæpe tamen usu venit, ut duæ sententiæ solidissime confutentur & tanquam absurdissimæ ante oculos constituantur, & lateat de reliquo *vera*, quæ vna est; cum errores sint innumeri. Qui deivum cognoscit iter, non id eo statim viam detegit proxime rectam: datur tertium, quartum iter, quod nihilominus est manetque deivum. Qui demonstrat, errare Scotum cum asseclis suis, huic enunciationi elogium principii primi tribuentibus: *ens est ens*; nondum profecto

fecto demonstravit, quodnam sit genuinum principium primum, quamvis ad absurdum Scristarum turbam deduxerit. Igitur iure cognitionis directæ principium cum maxime urgeo, quod & falsum & verum e contrario, ubi res fert, SEMPER potest detegere. Idque nostra fiet methodo principioque certissime: ut silentio inuoluam, nouam difficultatem generare vocem: *impossibile*. Quæ quidem etsi sola non est effectura, ut *ISTVD* principium primum non sit; tamen ea saltem paullo incommodior apparebit iis, qui clariora verba in *primo veritatis principio* efflagitant, aut talia minimum, quæ longiori explicatione non indigeant. Quid autem est, quæso, impossibile? quid possibile? cum sine *hoc* nec *illud* queam intelligere. Vnde Jesuita *Buffierius* lubentius sese acquierurum in eo: *quodlibet est, vel non est*, grauiter pronunciat, quam in altero, vtut decantatissimo: de quo iam non disputo. Accedit, principium hoc contradictionis lucem suam accipere a nostro, id est, a sensibus & definitionibus concessis, vel illico concedendis, quod facile foret ad demonstrandum. Sed fat est.

§. XXIII.

§. XXIII.

Itaque, qui hæc legis, caue potius, ne (1) criterium veritatis & principium primum vnum putes & idem. Clara enim perceptio sicuti in omni veritate; ita quoque in prima & vltima omniumque rationem continente non excluditur.

§. XXIV.

Caue (2) principium certæ disciplinæ primum confundas cum principio veritatis omnis. Potest namque cuiuscunque principalis propositionis nexus ostendi & deduci ex generalissimo principio veri: quod non obseruant de principio iuris naturalis digladiantes.

§. XXV.

Caue (3) ne, quod aliis verbis expressi potest, statim obscuritatis incuses, eoque axiomatis nomine indignum putes. In hunc lapidem offendere, qui principium *socialitatis* propterea repudiarunt, quod aliis describi modis loquendi posset.

§. XXVI.

Caue (4) cum illis lucteris, qui indemonstrabiles veritates quascunque
appel-

appellant primas : ne in logomachiam incidas.

§. XXVII.

Caue (5) inter principium theoreticum & practicum aliquid differentiae exculpas, aut etiam veritates practicas & theoreticas diuerso intelligi ac probari modo existimes. Tam enim ex nostro principio primo probatur, *parata esse seruanda*, quam quodlibet est, vel non est.

§. XXVIII.

Caue (6) principium primum cum aliis axiomatibus dicas innatum, hoc est, sine informatione, aut experientia innotescere.

§. XXIX.

Caue (7) in omni veritate determinata, seu singulari cognoscenda a primo semper principio incipiendum credas. Perinde enim est, ab hoc descendas ad singularia, an ab his adscendas, sicubi opus. Neque enim id semper necesse videtur: eoque factum, vt existimarent multi, principii primi vsum aut esse exiguum, aut minus frequentem.

§. XXX.

§. XXX.

Sed fac potius, notes, THEORETICAS veritates indemonstrabiles *axiomata*, demonstrabiles *theoremata*, PRACTICAS indemonstrabiles *postulata*, demonstrabiles *probl. mata* a mathematicis appellari, quorum tamen idioma non omnes tenent, & sequuntur. Quid vero fit demonstrabile, & indemonstrabile inferius clarebit.

§. XXXI.

Quemadmodum nunc perspicue patet, NOS PRINCIPIO Leibnitiano altero, quod vocat RATIONIS SUFFICIENTIS, non indigere; cum lateat in nostro: si bene pensiterur, *rationem sufficientem* esse id, ex quo *sufficienter* intelligitur, aut intelligi potest, quare alterum sit, aut esse possit. Si quid enim video, totum mysterium eo recidit: *Nil est sine causa efficiente, vel impulsiva & finali*: præsertim quum audiuntur huius axiomatis cultores: rationem semper continere causam, quæ aut efficiat, aut impellat, aut certo proposito fine reapse agat. Faciamus igitur, aliquem statuere: *depositum esse reddendum*. Cur, quæso, ita statuit? Quid eum impellit? du-

Dubium non est, indagari rationem, cui adiuncta est causa. Considero depositum eiusque *ideam* seu *definitionem*. Qui deponit, pergo, indigentiae & securitatis gratia aliquid alteri commendat. Quare? ut abiiciat & in alterum transferat? Non. Igitur nec depositarius causam retinendi habet, quia deponens nihil transfudit, sed potius retinuit ius repetendi, quum placet atque indigentiae ratio cessat, de qua ipse statuit deponens; non depositarius. Finge igitur, repeti iam rem depositam. Ratio repetitionis est sufficiens. Reddit igitur; sique redditio fiat, hoc est, re ipsa depositum restituat, etiam depositarius agit non sine, sed potius cum ratione sufficiente. Nec dubito, quin si omnium contingentium causarum & rationes ita essent perspicuae, nemo amplius esset quaesiturus, an, quod fit, vel fieri potest, sine ratione sufficiente eueniat, aut euenire queat? Solum disputatio est, an semper causa & ratio possint inueniri & explicari perspicue, quare aliquid fiat, aut fieri possit? Quin causa adsit, adesseque debeat, nemo forte ambiget. Sed quae? Et hic in publicum demum prodit difficultas. Sed ego

G vero,

vero, vt ad exemplum *depositi* reuertar, tantis anfractibus & circumitionibus impune supersedeo. Latet enim idea *red-ditionis* in idea *depositi*, in quam contrahentes accurate consentiunt: ita vt deponentis propositum sit quoque propositum depositarii: quia in vnum consentiunt. Idea conuenit ideæ, definitio definitioni. Vnde *Leibnitianum*, aut *Archimedæum* inuentum non tam reicio, quam via breuiori probationem meam absoluo.

CAP. III. SECT. II.

DE

PRÆSUMTIS OPINIO- NIBVS, QUAE VVLGO PRÆ IUDICIA APPEL- LANTVR.

§. I.

VT homines principiis, ac certis axiomatibus innituntur, quæ inueniendæ veritatis, multarumque conclusionum basis ac fundamentum sunt; ita iidem falsa quædam axiomata pro veris substituunt, atque
 ex

ex iis errores novos ac catenatos progenerant. Vnde illa præiudicia vulgo, hoc est, præsumptæ opiniones appellantur.

§. II.

Eiusmodi falsa principia a prima statim infantia omnes accipiunt. Quo tempore, quemadmodum probationi nullus locus relinquitur; ita fieri solet, ut eadem tanquam veritates evidentissimæ atque indemonstrabiles memoriæ imprimantur.

§. III.

Quod autem diu mente tenuimus, id sane difficulter deponimus; quoniam ea, quibus adsuevimus, facilia apparent; nouæ perquisitiones autem novos labores exigunt, nouas difficultates in sinu gerunt.

§. IV.

Ergo ea veluti idola ac lares nostros ruemus, basiamus ac mordicus sæpe defendimus.

Vnde *V. rulamius* omnibus præiudiciorum generibus singularia nomina imposuit, atque IDOLA tribus, fori theatri, ecclesiæ extruxit.

G 2

§. V.

§. V.

Ex quo perspicue elucet, eiuscemo-
di opiniones præsumtas non ex rationis,
aut sensuum defectu oriri, sed quia ἐν
παρόδῳ, id est, negligentissime ratio-
cinamur, &, quidquid nobis offertur, si-
ne decenti industria recipimus.

§. VI.

Vnde recte arguunt, qui ignaviam,
vel attentionis absentiam omnium fal-
sifarum opinionum proximum fon-
tem præcipuamque causam agnove-
re.

§. VII.

Quare enim, quæso, auctoritate a-
liena moueris, & versimilitudinis leges
migras? Credo desidiam in causa esse
& fugam doloris. Labor enim dolo-
res inferre videtur.

§. VIII.

Atque is vero, qui labores deuit-
tat, in aliorum virorum celebrium au-
ctoritate fiduciam collocat, ac nu-
bem pro Iunone, pro auro argillam si-
bi patitur obtrudi, vt ne diutius in-
hærere meditationibus suis cogatur.

§. IX.



§. IX.

Quæ quidem ratio viuidius sensus videtur ferire, quam, quum nonnulli amorem *irrationalem* pro harum opinionum causa venditant. Nos enim proximam quærimus, illi remotam suggerunt; quam, ceu clarissimus *Syrbius* (*) sibi persuadet, neutiquam reicio.

(*) Multus ille est in probando, ignauiam esse *privationem*, priuationem autem nullius rei videri causam: quamuis forte non ignoret, cæcitatæ causam esse, quod quis careat oculorum lumine.

§. X.

Non est enim non fatendum, omnem ignauiam ab hominum corruptis cupiditatibus prouenire, quando vel voluptas, vel auaritia, vel vana gloria eos impedit, vt sagaciores ac diligentiores in rebus ac meditationibus suis euant.

§. XI.

Itaque quæ contra ignauiam reme-

dia prodita sunt, eadem hic quoque tenenda.

§. XII.

Vnde sapienter *Cartesius* dubitationem discipulis commendauit. Nam qui in suspenso animum tenet, quærit: qui quærit, non acquiescet; sed omni animi contentione eo sua consilia conferet, vt obscuritas pellatur,

§. XIII.

Similiratione is, qui dubitat, auctoritatem alienam aut flocci pendit, aut minimum tanti non facit.

§. XIV.

Sed caue, ne in dubitatione inepta subsistas, & sic nouum desidiæ specimen ostendas.

§. XV.

Caue etiam, ne, dum errorem aliquem deprehendis, existimes, te veritatis lumen obtinuisse: sunt enim plures errores, vna veritas.

§. XVI.

Caue denique, ne vno impetu omnes opiniones adamas & falsas tollerere coneris.

§. XVII.

§. XVII.

Vt enim labor improbus vix durat; ita eiusmodi conatus præceps facile subsidit.

§. XVIII.

Ergo pedetentim errores, quos imbibisti, abiice, quoniam paulatim & per spiramenta temporum imbibisti.

§. XIX.

Abiice, quoties maiori euidencia connexionem inter duo extrema offendis.

§. XX.

Abiice, vtut principii loco adoptasti, vtut recepta hypothesis est, vtut numero, & auctoritate magnorum virorum circumuallatur.

§. XXI.

Hæc enim verisimilitudinis fallaces notæ sunt.

Dicatur de THOMÆ BRUNI *pseudoxia epidemica*, IOANNIS HISPANI libello, de *erroribus popularibus*, & Herberti libro, de *caussis errorum*, itemque

Hulsi libris VIII. de errorum origine.

CAP. III. SECT. III.

DE
VERISIMILI ET FALSO
SIMILI.

§. I.

Igitur ne labamur, *verisimile* attentius perlustrabimus, cuius doctrina tam est necessaria, quam altera de *veritate*.

§. II.

Neque enim omnes res intueri præsentes, aut ita omnium peruidere naturam possumus, summus ut semper euidentiæ gradus adtingatur: ineptusque foret omnino, qui tum demum adfirmare, aut negare, aut ad agendum se accingere vellet, quando nihil amplius dubii & incerti superesset: plura namque verisimiliter, quam indubitanter cognoscimus.

§. III.

Quare indagandum, quid sit *verisimile*? Etprehendimus autem, nos, cum

cum verum re ipsa cognoscimus, non solum dubitare non posse; sed & conscios esse eius, quod fit, aut fieri potest. Cernimus continens, cernimus contentum, ac, quia clare totum comprehendimus, dicimus, nos vnam ideam obseruare in altera, hinc secure & certo *affirmamus*; cum vicissim illam, quam exclusam animaduertimus, *ideam* separemus, quia id, quod illam continere debet, non tam comprehendit, quam excludit; adeoque *negamus* cordate & sine hæsitatione: inque primis vbi causam & quidem *immediatam* seu *proximam* asserre possumus, quare hoc istudue *prædicatum* dicamus iunctum cum subiecto, aut ab hoc disiunctum; probatioque in promptu est vel ex *sensu*, vel ex *cogitationum, idearum, ac definitionum* conuenientia: quarum oppositum propterea euadit *contradictorium*. Ita non solum percipitur, *bis quinque* contineri in *decem*; sed & per accuratam analysin ostendi potest, quare contineantur; ac negationem festinatam perspicue esse contradictoriam. Tam acute & perfecte hic omnia intelliguntur.

§. IV.

Enim vero vbi vel caussa affertur *remota*, vel ab effectu, adiunctoque, quod rei cohæret, aliquid infertur, statim animaduertitur, latere aliquid, hincque notius adferri ex *observatione*, vt detegatur tandem caussa proxima ignotior per *ratiocinationem*. Sic cum Anacharsis Philosophus Scythia interrogaretur: quare in Scythia non essent tot tibicines, atque in Græcia, respondit: quia in Scythia non essent vites. Obseruauerat enim Philosophus, Musicæ usum in Græcia inualuisse, quod vino dediti sint hilariores, & hi sectentur musicam ac saltent, saltantes vero exigant tibicines. Vbi nullum vinum ibi tibicines rari sunt. Ecceur? quia sine Baccho hilaritas rarior. Vbi hilaritas rarior, ibi & tibicines sunt rariores. Sic a caussa remotiori adscenditur ad propiores: detegiturque denique a posteriori nexus prædicati cum subiecto per *propositiones* adminiculantes: quod aliis quoque exemplis, in quibus ab effectibus *adiunctisque* aliquid infertur, doceri posset.

§. V.

At quum neque a priori, neque posteriori *extrema* detegi queunt; vt ut interea

terea intermedia ac variæ partes apparent, tum sane coniecturis locus relinquatur.

§. VI.

Coniectura enim supplet, quod deest in cognitione *totius*.

§. VII.

TOTVM partibus constat. Quo plures partes cognoscuntur, eo propius acceditur ad verum, eoque magis dubitatio minuitur, & incertum decrescit. Quo pauciores vero partes innotescunt, eo dubitatio maior, cognitioque minor fit: & a falso proxime abest.

§. VIII.

Vbi partes, ibi gradus. Ergo verisimile *gradus* habet, sicut & falso simile.

§. IX.

Quamdiu vero partes cognitioni integræ & *totali* defunt, tam diu formido oppositi durat.

§. X.

Ergo verisimile, qua verisimile, non est *penitus verum*, utur etiam non est *falsum*.

§. XI.

§. XI.

Quod deest detegi debet per *observationes*.

§. XII.

OBSERVATIONES facta præponunt. Facta experimur; eoque experientia medium est & fundamentum coniecturarum.

§. XIII.

FACTA memoria custodimus. Ergo experientia est *continuata memoria*. Et experientia vero vel est propria, vel aliena.

§. XIV.

Quæ ipsimet experimur adnotamus. Quæ adnotanda, probe sunt ponderanda, ne, quod verisimilitudinis fundamentum esse debet, erroris causa euadat.

§. XV.

Quod probe ponderamus, conferimus. Collatio vel similitudinis, vel dissimilitudinis notas suppeditat.

§. XVI.

Similitudo gignit analogiam phaenomenorum. Ex analogia coniiicimus vel præsens, vel futurum.

§. VII.

§. XVII.

Futurum vel proxime abest, vel longius. Prius maiorem, posterius maiorem formidinem secum fert.

§. XVIII.

De quo autem nihil experti unquam sumus, nec quidquam audiuimus, id vel leuissima fide dignamur, vel contemnimus.

§. XIX.

Quod *ipsi* adnotauimus & ab aliis quoque adnotatum accepimus, facillime tanquam simile vero ad sensum nostrum approbamus.

§. XX.

Quod vero ab *aliis* tantum accipimus, id vel contradictorium est, & impossibile, vel possibile. Prius sine hesitatione reuicimus. Posterius nec illico reuicimus, nec itidem illico credimus, sed subsistimus. Neque enim omne possibile statim est verisimile: immo multa in abstracto sunt possibilis, nec dissimilia vero, quæ in concreto, aut, ut alii loquuntur, *moraliter* potius sunt similia falso.

§. XXI.

§. XXI.

Vnde ante omnia videndum, quid dicatur, & quis dicat? Vt ut enim aliena experientia & memoria tam potest esse certa, quam est mea; haud raro tamen ambiguum manet, an aliquis vel facultatem habuerit cognoscendi singula accurate, vel etiam voluntatem, sincere aperiendi, quæ propriis sensibus ac documentis est expertus?

§. XXII.

Igitur fiducia singularis necessaria videtur, si qua veri species ex TESTIMONIO, quod alienam experientiam præponit, nasci in mente nostra debeat.

§. XXIII.

Eam enim nec multorum testium nubes, nec eorum, qui pro sapientissimis venditantur, auctoritas, nec itidem nouitas, nec antiquitas absolute progenerant.

§. XXIV.

Inueniuntur quippe plures homines inepti, quam vere docti: multi etiam sapientum nomine indigni sunt: plurimi errores sicuti populares; ita senium con-

tra-

traxere: nec pauci denique de nouo, veluti fungi, quotidie nascuntur: eoque merito notantur Peripatetici, apud quos tam fallacia verisimilitudinis signa offenduntur.

§. XXV.

Quamobrem vera, non simulata peritia narrantis, seu scribentis circumspicienda. Et inde enim est, quod artificis nomen bene merenti in arte sua tantisper credatur, donec contrarium evidentius ostendatur: inde testis oculatus plus valet, quam auriti decem, quia rerum vere gnarus censetur: ac, si aurito fides habetur, nec eius testimonium prorsus spernitur; vel de solo auditu sermo erit, vel aliorum assertis istud adminiculabitur quadantenus; ita tamen, vt minime consequatur: audiui praesens, ergo & alter audiuit; item, non audiui, ergo nec alter auribus percepit: Potest enim fieri vt minus adtenti non audiant.

§. XXVI.

Eodem pertinet, quod fides exter-
norum, pauperum, infantum, mulie-
rum, monachorum ac rusticorum
quoque, quide rebus extra sphaeram su-
am

am constitutis testimonium perhibent, admodum vacillet; sicuti vicissim autorum æqualium adfirmatio, vel negatio maioris ponderis erit, quam sequioris ætatis, præsertim quum alia concurrunt, quæ de eorum peritia singulari in hoc, istoue negotio indicium præbeant.

§. XXVII.

Ad quam peritiam si accedat mentis quædam integritas, ac *plurium* tali *ἀκριβεία* & virtute præditorum suaui consensio, tum vero dubium non est, quin vel maior, veletiam maximus verisimilitudinis gradus sit oriturus: quem admodum vicissim vnus testis adsertum minoris fit sæpeque exiguæ autoritatis, immo aliquando nullius habetur.

§. XXVIII.

Solum quæritur, vnde eiusmodi integritatis notæ sint desumendæ. *Iohannes Clericus* aliique varias expendi occasiones, cohærentias, & adiuncta iubent, quæ *circumstantias* solemus appellare, easque magno numero recensent.

§. XXIX.

Nos *vacuitatem* ab omni, quam alias

lias respicere homines solent, *utilitate*
fundamenti loco substernimus.

§. XXX.

Ex eo namque est, quod homines odio, & amore plenos vacuis ab affectu postponamus; atque interdum domesticos testes, aliquando externos pro re nata vel admittamus, vel repudiemus, ceu fit in Historia Henrici IV. & Gregorii VII. item in bellis Gallor. & Hispanorum, ac controuersis civilibus & ecclesiasticis, Evangelicorum & Catholicorum innumerisque aliis; sicuti vicissim scriptores & historicos sacros ab omni suspitione utilitatis & studio partium penitus absolvimus.

§. XXXI.

Simili ratione Principum testimonio ex publico tabulario in caussis subditorum magna fides tribuitur, quod omnes pari prosequi amore videntur: cum e contrario in suis litibus ac controuersis illa integritatis coniectura haud raro deficiat. Vnde facile deciditur de tabulariorum fide & auctoritate calida altercatio.

H

§. XXXII.

§. XXXII.

Quibus bene expensis colligitur, totam doctrinam de *opinionē, fide, præsumptione* his superstrui principiis, hoc est, observationibus ab experientia tum propria, tum aliena desumptis, quarum ope conuincimus ac conuincendo feliciter sæpe supplemus, quod deest toti, atque integræ veritati, cuius solida cognitio gignit *scientiam* immotam, cum è contrario *opiniones* aliquando mutemus.

§. XXXIII.

Quid enim est *OPINIO*, quam iudicium experientiæ propriæ & successivæ, aut alienæ innixum, ex qua intereaplena & omnimoda probatio non consequitur? & quid tandem fides aliud, quam opinio? quid præsumptio, quam coniectura & iterum opinio?

§. XXXIV.

Et sicuti vero verisimilitudo gradibus distinguitur; ita opinio, fides, præsumptio.

§. XXXV.

Hos gradus Jurisconsulti in *præsumptionibus* suis obseruant: quamuis multi
rem

rem facilem obscura nebula *circumfundant*.

§. XXXVI.

PRÆSUMPTIO enim est & manet coniectura probabilis, lex adlístat, amínus. Sed hanc tamen *hominis* vocant, illam *legis*, quæ vtraque onus probandi in alterum, qui talem præsumptionem, seu probabilitatem pro se adducere nequit, transfert; eoque probationem in contrarium admittit, quia *probabilitas* est *medii* gradus; cum vicissim omnem probationem in contrarium excludat, ubi verisimilitudo adest maxima; parumque veritati integræ deest.

§. XXXVII.

Eosdem gradus, qui *historias* & *vetorum scripta* legunt, observant, aut saltem observare debent, ne falso magis, quam vero consentanea admittant.

§. XXXVIII.

Nec dubites, quin & *Theologi* cum verisimilitudinem, tum eius intervalla & gradus observent. Præterquam enim quod interpretatio fere omnis nitatur coniectura, & vel pauciora, vel plura

argumenta aliquando præsto sint; etiam constat, nihil posse credi, nisi quod fieri potest, nec maxime repugnans & contrarium, seu *contradictorium* est: totaque res in eo potissimum, quando de fide quæstio nascitur, vertitur, an Deus, quod firma fiducia credendum, reuelauerit? In facti quæstione autem res iterum sæpe ad interpretationem, coniecturas & ratiocinationes redit; quæ pro re nata vel sunt probabiliore, vel probabilissimæ. Enthusiastæ fidem *cecam* sequuntur: Saniores *fidem* lucentem, quam magis ac magis per attentam meditationem verbi diuini incendat spiritus sacer, vt, quæ antea duntaxat lucebat, fiat ardens &, propter accessionem auxiliorum gratiæ, immota. Ex quo denuo confit, nec rara, multo minus rarissima præsumi, quia præsumtio, seu coniectura obseruationes plures vniformes præponit, vnde existentia rei, cuius causam *αίτιαν* neque sensu, neque ratione cognoscimus, probabiliter inferatur. Iam vero cum miracula sint insolita, & rarissima, quia in *natura rerum conditarum* fundamentum nullum habent, ideo non facile sunt admittenda: nec tamen præfracte
vni-

vniuersa & singula neganda, si vera reuelatio, cuius DEVS est auctor certissimus, testimonium rei gestæ perhibeat, & locus, & tempus, & causse graues, aliaque adiuncta conueniant. Quin enim multa de miraculis narrentur falsa, in vulgus notum est: præstatque, multa non credi, quam omnia. Quod qui tenent medium, vix offendent, præsertim, si perpendant, Deum esse supra naturam & simul auctorem naturæ totiusque cursus eiusdem, quem suspendere, si vult, potest omnino; recurrente interea quæstione, an reuera suspendit? & an id, quod pro suspensione cursus naturalis habetur, non sit potius *extraordinarium*? Quod, quia vulgus rarius obseruat, supra naturæ vires positum opinatur aliquando. Quocirca simul notes; non illico omnia miracula negare, qui vnum & alterum negant, aut pro opinione spectatorum imperitorum venditant, aut denique e naturalibus principiis deducere fatagunt. Sat est, aliqua ab iis admitti, nec, uti facit *Spinoza* cum Atheis ac *Ludovico Meyero*, omnia contemni. De ceteris disputent impune, ac modeste; feratque palmam, qui verisimillimum dicit, defenditque.

H 3

§. XXXIX.



§. XXXIX.

Ex quibus omnibus perspicue demum elucebit, quam sit difficile, quantique iudicii res, verisimilius discernere à verisimili, atque hoc à falsi simili, idque rursus à falso. Certumque est utique, non adeo arduum videri inuenire veritatem, quæ evidentibus sese iudiciis sæpe offert, quam verisimile, quod callidissima nonnunquam coniectura indiget, atque hæc multiplici observatione, ac prouida illatione. Vnde denuo apparet, quare viris politicis, atque Historicis vere pragmaticis, quid? quod criticis eruditibus atque Medicis practicis acumen iudicii adscribatur: quod ii pensitent cum primis, qui artem coniectandi superbe fastidiunt.

CAP. IV.

DE

PROPOSITIONIBVS VNI-
VERSALIBVS ET PARTICV-
LARIBVS.

§. I.

§. I.

Propositiones affirmantes & negantes veræ ac falsæ haud raro aliam denominationem accipiunt, prout videlicet prædicatum toti subiecto applicatur, vel non applicatur.

§. II.

Toti subiecto applicare significat omnem eiusdem ambitum ac latitudinem ita describere, vt nihil sub eo sit, aut vsquam lateat, quod non attingat, vel remoueat prædicatum.

§. III.

Vbi igitur eiusmodi applicatio generalis, ibi propositio VNIVERSALIS obseruatur. Sic cum omnes homines pronuncio mortales, dubium non est. quin vnuerfis itemque singulis, nemine excepto, necessitas moriendi adtribuatur.

§. IV.

At PARTICULARIS vicissim dicitur, quando prædicatum subiecto quidem applicatur, sed non secundum omnem extensionem. Ita, cum quidam homines vocantur docti, ea, quam signamus,

qualitas certo hominum numero adtribuitur.

§. V.

Inde vero sequitur, vt vniuersale, quia est magis extensum, comprehendat particulare, non contra.

§. VI.

Ob hanc extensionem factum est, vt scholastici *vniuersalitatem* & *particularitatem* propositionum quantitatis nomine appellarent, quemadmodum iidem affirmationi & negationi *qualitatis* titulum adfixere.

§. VII.

SINGULARES propositiones merito omittimus, quia eæ certo ac sano sensu videntur vniuersales. Nam, cum aio, Alexander est fortis, nihil sane in toto subiecto inuenitur, cui fortitudinis idea non conueniat exacte.

§. VIII.

Omittimus etiam propositiones inter vniuersales & particulares medias, ne temere multiplicentur res, quas multiplicari non est necesse. In quo *Thomas Goueanus* videtur peccasse.

§. IX.

§. IX.

Tantum nunc indagandum est, vnde intelligatur, propositionem accipi cum omni extensione? Nam etsi in hunc finem veteres permultas regulas excogitarunt; vereor tamen, ne vel parum profecerint, vel nihil omnino. Neque enim rem ipsam, sed signa tantum, eorumque positum sunt contemplati, nempe quum de paucis, multis, vel pluribus aliquid effertur.

Dicatur de Aristotelicorum, & Scholasticorum.

§. X.

Quod consilium propterea rem non penitus conficit, quoniam homines sapius vel indefinite, seu vage loquuntur, vel minus accurate. Quis enim nescit, frequenter adhiberi vocabulum multi, & intelligi omnes, ac contra nominari omnes, & designari plures? quales enunciationes in veteri ac nouo testamento quid? quod corpore iuris nostro occurrunt.

§. XI.

Itaque nouum criterium inuestigandum, quod, meo quidem iudicio,

determinari prius non potest, nisi inter *ius & factum* cum viris quibusdam præstantibus distinguamus.

§. XII.

Iure namque propositio pro vniuersali habetur, vbi, quod attribuitur subiecto, in vniuersis & singulis, quæ sub eo comprehenduntur, inuenimus. Ita confidenter numeros omnes ex vnitatibus dicimus compositos, quia nullum offendimus, in quo non simul inueniatur vnitatis.

§. XIII.

Quando vero quæstio incidit, quid hic, vel iste auctor ex facto in mente habuerit, tum quidem signum, si adsint, circumspectenda sunt, non autem sola; sed res ipsa simul ponderanda, sed linguæ genius expiscandus, sed interrogandus auctor, qui scripsit, vel, si hoc fieri nequeat, opiniones eiusdem & principia excutienda sunt, antecedentia & consequentia perpendenda, vt ita sensus scribentis, vel loquentis in apertum producat. Simili ratione indefinitis procedendum; quæ aliquando particulares sunt, aliquando vniuersales
pro

pro contingentia ac necessitate, eius quod vel affirmatur, vel negatur.

§. XIV.

Ceterum, quando quaritur, quare homines adeo frequenter aliquid enunciant integre, seu *uniuersaliter*, obseruandum est, non aliam, quam reliquorum errorum caussam, hoc est, ignauiam hic subesse.

§. XV.

Ea fecit, ut e paucis obseruationibus tot canones philosophici struerentur, tot uniuersales propositiones in singulis disciplinis effectæ compareant, quæ uniuersales non sunt, sed innumeris limitationibus indigent. Quod *Iacobus Thomafus* in notis ad regulas *Stahlianas* dudum animaduertit.

§. XVI.

Quid interea sit uniuersale metaphysicum, physicum, morale ad ontologiam pertinet.

CAP. V.

CAPVT V.

DE

PROPOSITIONIBVS APERTE
ET LATENTER COMPOSITIS
ITEM COMPLEXIS SEV
INCIDENTIBVS.

§. I.

ET hætenus vero propositiones simplices, quæ duabus constant ideis, recensuimus: nunc de compositis agamus, in quibus aut plura subiecta, aut plura obseruantur prædicata, quæ comparata inter se plures fiunt enunciationes.

§. II.

Compositio vel est aperta, vel latens.

§. III.

Apertam coniunctiones produunt *copulatiuæ, conditionales, causales, disiunctiuæ, discretiuæ*, cetera.

§. IV.

Ergo vbi plura subiecta, vel plura prædicata, vel vtraque simul per voculam

lam

lam & , atque copulantur , ibi COPULATIVA enunciatio exurgit : quæ tum demum vera est , quando omnia , quæ iunguntur , membra sunt vera , vt in sequenti obseruatur exemplo : & pietas , & temperantia est honesta , & iucunda . Cuius obseruationis in vita humana , inque scriptis aliorum intelligendis , & confutandis vsus non est exiguus .

§. V.

CONDITIONALIS diuersa membra per particulam *si* connectit , ac nouum ex concessis elicit , siue id , quod præcedit , & vt postulatum ponitur , sit verum , siue etiam falsum : sola enim consequentiæ , id est , illationis veritas hic spectatur .

§. VI.

CONSEQUENTIA autem vel est *mediata* , vel *immediata* .

§. VII.

Hæc per se euidens est . Illa probatione indiget , vt , si est auarus , est timidus .

§. VIII.

Eiusmodi propositiones propterea
adhi-

adhibentur, vt conuincantur differentes, aut admittendum esse vtrumque, aut repugnantiae manifestae locum fore concedendum.

§. IX.

IN CAUSSALIBVS particulæ, vt, *quia*, connexionem efficiunt: & differunt eæ omnino a conditionalibus. Nam etsi quædam propositio causalis est etiam conditionalis; non continet tamen *conditionalis* quæcunque aliquid causæ, nec *causalis* euentum incertum ponit, ceu *conditionalis*; quid? quod non semper in conditionali a causâ ad effectum, aut contra, argumentum ducimus.

§. X.

Tantum operam naues, vt vera inueniatur causa, ne a baculo ad angulum concludas.

§. XI.

RELATIVAS omittimus, quia in omni enunciatione obseruatur relatio: sicut & *reduplicatiuarum* expositionem silentio inuoluimus, quia sunt causales, aut minimum ad eas reducuntur. Sic, cum adfirmo, peccator, qua est poenitens, non displicet DEO, nihil aliud pro-

profecto innuo, quam hominem peccatorem DEO non esse ingratum, quia poenitentia ducitur.

§. XII.

Igitur *DISIUNCTIVÆ* superant: quæ per particulam disiunctiuam aliquid componunt. Nam disiunguntur membra & componitur oratio. Qui ait, aut virtutem esse sectandam, aut vitium, enixe vult, vt approbetur vnum, & reiciatur oppositum; vtrumque recipi nequit, nisi quidem aliquis repugnantia vellet, aut loqueretur.

§. XIII.

Vnde necessario concluditur, *soluenda* esse membra opposita, *nihilque omittendum*, ne aduersarius cum nostri irrisione elabatur. Prius facilius factum est, posterius maioribus difficultatibus obstructum. Neque enim tantæ capacitatis noster videtur intellectus, vt vno semper obtutu omnia cernat comprehendatque.

§. XIV.

At oritur hic de oppositione ex *Inrisprudentia* difficultas quædam. Cum enim *Pamphilum promitto, aut Stichum,*
nulla



nulla videtur adesse oppositio. Et nemo vero negabit *alternatiuam*, seu *disiunctiuam* hoc loco occurrere enunciationem. Sed salua res est. Promitto namque aut solum Pamphilum, aut solum Strichum. Si eligam ego, aut tu eligas *HUNC*; (*Quis enim habeat ius eligendi iam non pertinet ad κενόμενον*) non poteris exigere *ALTERVM*, & sic vicissim. Itaque sensus erat: Vnum promitto, binos simul non item; quamuis ex binis vnum possis eligere, aut ego pro re nata & iure eligendi vel mihi, vel tibi competente. Quare omnino hoc etiam in exemplo occurrit oppositio: quam pragmatice intelligunt Jurisconsulti, & cum effectu. Simili ratione in sequenti specie adornanda est decisio: *Dabo decem, si aut nauis ex Asia venerit, aut Titius fuerit Consul factus*. Mea sententia est: Daturum me decem, si vnum euenerit; si neutrum nihil; si vtrumque, iterum decem. Ratio est, quia, cum vtrumque accidit, etiam euenit vnum. Ergo oppositio quaerenda in eo: *DABO*, cum euenerit saltem vnum, aut vtrumque: *NON DABO*, si neutrum. *Vtrumque* non exclusi. Tantum nolo obligari, si *NEC* Titius consul

sul

ful sit factus, NEC naus reuenerit. Si qua amplius occurrat dubitatio de *alternatiuis* enunciationibus, eam distinctio inter disiunctum *grammaticum* & *logicum* tollet. Sæpissime enim *verba* separantur, non *sensus*. Quæ separatio interea non pertinet ad rhombum nostrum: etsi hinc pellucet, disiunctiuas aliquando indigere expositione, aut, ut in scholis loquuntur, *expenibiles* esse: præsertim si *obligationem* contineant, vel *ius*, vel etiam *oppositio* non *illico* adfulgeat.

§. XV.

DISCRETIVARVM propositionum alia ratio est. Neque enim oppositæ partes hic requiruntur, ut in disiunctiuis, sed tales, quæ in vna fede possunt morari: etsi reapse non conueniunt, sed distinguuntur. Sic inepte loqueretur, qui adfirmaret: *doctus est, sed non est inscius ignarusque rerum omnium*. Vicissim apte pronunciarer idem: *doctus est, sed imprudens, sed sordidus*.

§. XVI.

Quæ quidem ad intelligendas propositiones aperte compositas sufficiunt. Nunc latentes breuiter excutiendæ sunt.

I

§. XVII.

§. XVII.

Sæpe enim fit, ut etiamsi mente plures ideas atque iudicia copulemus, eadem tamen in sermone non cuius appareant, sed velo quasi sint obducta.

§. XVIII.

In his detegendis valde sudarunt Logici, ac multis verbis enunciationes *exclusivas*, *exceptivas*, *desitiuas* exposuere: quanquam regulæ fere omnes videntur superflua.

Notetur auctor artis cogitandi, qui in his tricis exquirendis paullo nimius est, Buffierius plures addi facillime posse statuit, e. g. *continuativas*, *inceptiuas*, si quis denominationibus variis ac nouis delectetur.

§. XIX.

Qui enim attente, quod dicitur, considerat, & idiomatis satis gnarus est, in sensum facile penetrat. Vnum alterumue exemplum addam: *Desiit furari*. Qui hæc verba legit, & suis ponderibus rite exigit, facile peruidet, duas hic latere quaestiones: 1) *an sit furatus?* 2) *num desierit furari?* Et quando dico: *sola virtus nobilitat*, id volo: 1) *vir-*

virtutem nobiles efficere, ac præter virtutem nihil in rerum natura inueniri, quod nobilitatem veram conciliare hominibus queat. Vnde cetera vanitatis instrumenta excluduntur omnia.

§. XX.

Hæc, vtut apparent facilia, tamen iuuenibus varia proponenda sunt exempla, vt partim ipsimet intelligant, quid cogitent, loquanturue, partim, vt aliorum dicta intelligant, & sine confusione, alieni sermonis interpretes agant.

§. XXI.

Itaque haud male agerent Præceptores, si hoc modo discipulorum cogitationes augerent, atque amplificandis eiusmodi thematibus adolescentes adfuefacerent. Ita enim cum ratione forent dicturi, scripturique.

Differatur ἐν παρόδῳ de variis modis amplificandi a Morhofio aliisque commendaris. Laudetur Arnaldus, Iansenii asseda, qui aduersariorum suorum enunciata argute examinat & resoluit.

§. XXII.

De cetero caue, ne propositiones compositas misceas & complexas.

§. XXIII.

In his plura prædicata & subiecta non sunt, etsi videntur adesse. Quæ enim adiiciuntur, vel vnum subiectum, vel vnum prædicatum, vel vtrumque *illustrant, determinantque*. Adeoque non vno vinculo connectuntur vt compositæ: sed potius, plures sunt propositiones non connexæ. Sequentibus exemplis res fiet clarior: Avarus, qui cuiuscunque folii strepitum timet, ad desperationem, quam ambitiosus ignorat, facile adducitur. Verba: *qui cuiuscunque folii strepitum timet*, & altera quoque: *quam ambitiosus ignorat*, abesse possunt, quia tantum illustrationis causa sunt apposita. In hoc vero: homines, *qui prudentiæ laude coruscant, in futurum prospiciunt*, alter terminus salua veritate euelli nequit. Neque enim omnes homines futura considerant, & in longum prospiciunt. Id faciunt prudentes: cæteri negligunt, & præsentibus contenti viuunt. Igitur eiusmodi determinatio maxime necessaria fuit.

§. XVIII.

§. XXIV.

Sed caue iterum, ne inducas animum, cuncta verba illustrantia esse superuacua. Voces timorem avari exprimentes clarius ostendunt, quare is animum despondeat, non autem ambitiosus, qui spe plenus adeoque ab omni desperatione, quæ est spei vacuitas, longissime videtur remotus.

§. XXV.

Quibus perpensis non est necesse, vt circa MODALES propositiones multum temporis infumamus.

§. XXVI.

Ipsa naturalis ratio ostendit, quid in iis lateat. Nemo enim non intelligit, ne hic determinate affirmare, vel negare, ac modum, quo extrema inter se sint connexa, exprimere. Sic, qui DEum necessario dicit esse bonum, non solum affirmat, eum esse bonum, sed etiam demonstrat, *qua ratione* tanta bonitate sit præditus. Etenim necessario bonus is est, qui ob naturam suam non potest aliter velle, eoque nec alius, nec a se ipso diuersus esse.



§. XXVII.

Ceteræ observationes ac regulæ, vtrum nempe *MODVS afficiat* determinetue copulam, an minus, inanes sunt. Non enim nisi ineptissimus hic offendet. Ineptissimus autem pro absente habetur, nemoque pro modali habebit: *contingens non est necessarium.*

§. XXVIII.

Simili ratione tota *CONVERSIONIS* doctrina vana est. Qui nexum subiecti & prædicati rite examinat, omni hoc apparatu caret impune, adeoque a miserima veterum diligentia iure abstinet. Quare vero Scholastici his ineptiis indulserint, iis notum est, qui reductionem Syllogismorum didicere.

§. XXIX.

Pariter *ÆQUIPOLLENTIÆ* subtiles circulos nemo rotabit, quia hic linguæ notitia plus, quam omnes logicorum regulæ præstant.

§. XXX.

Non dissimile iudicium de *OPPOSITI-ONE* feras. Qui scit, omnem virtutem esse vere utilem, is sine dubio iam intelligit, quoddam vitium non esse vtile

tile. Quidquid vero de contrariis & subcontrariis obseruatur, rectius ex attenta rerum contemplatione discitur. Vno verbo: qui noscit verum, noscit etiam falsum, quod veritati repugnat, & contrarium est.

Interea explicatur in transcurso, quid contradictorium, contrarium, subcontrarium, subalternum appellauerint vocabulorum barbarorum architecti.

CAP. VI.

DE
DIVISIONE.

§. I.

Quemadmodum vero arithmetici numeros maiores in certas periodos, seu membra distinguere consueuerunt; ita etiam, quæ composita sunt, merito Philosophi in plures partes secant, ne quid confusio- nis in meditationibus nostris enascatur.

§. II.

Ergo noua emergit propositio, quam **DIVISIONEM** appellamus.

14

§. III.



§. III.

Ea omnia, quæ continet totum, perfecte enumerat.

§. IV.

Totum autem est vel integrale, vel vniuersale.

§. V.

Integrale appellamus, quod continet omnes partes necessarias ad vnum aliquod determinatum constituendum: quæ interea ita seiungi possunt, vt & substantiæ maneat & singulariter circumspiciantur. Quale totum corpus est humanum, cuius membra sicuti aliquando separantur, & peculiari contemplatione expenduntur; ita certum est, ea interea, tanquam partes, ad integrandum istud totum, pertinere, ne statum suum amittat.

§. VI.

Eius generis *diuisionem* solent nominare *partitionem*: de qua voce non est necesse vt disceptemus.

§. VII.

Alterum vero, quod *vniuersale* diximus; *genus* est certe, quod in suas *species*

qua ignotum, non diuidi; nec *notum* quoque in partes nimium exiles, nec in *magnas*, aut *generales* debere separari; quandoquidem talis diuisio vel nihil afferet præsidii, vel rem denique sic discerptam absorbebit fere. Quæ vitia in *Aristotele* & in *Scholasticis* præcipue, quos *cuminifecas* appellarunt, magnopere reprehendunt, cordatiores: vt de recentioribus quibusdam nihil dicamus.

§. X.

Diuidimus porro rem, non nomina, aut, si hæc quidem separatim ponimus, prouidemus, ne diuisiones nominum accipiamus pro illis, quæ sunt rerum.

Peccauit *Aristoteles* cum sequacibus: quorum libelli eiusmodi ἀντιδιαστολαῖς & homonymiis fere scatent.

§. XI.

Diuidimus denique adæquate omnia & apte, vt nec abundet quidquam, nec deficiat, nec proportioni, quæ perpetuo in singulis rebus habenda ante oculos est, repugnet. Diuisionis namque finis est, ne omittatur aliquid confideratu

ratu dignum, quodque claritatem conciliare aptum fit rei intelligendæ.

§. XII.

Eo pacto inepta diuisio videtur legis proprie dictæ in naturalem, gentium, ciuilem. Neque enim gentium ius lex est peculiaris.

§. XIII.

Similiter pro vitiosa & absurda partitione haberetur, si adfirmares, omnem religionem esse vel Christianam, vel Ethnicam, vel Muhammedanam. Quare enim naturalem *aliasque* omit-
tis?

§. XIV.

Quin nec ea multis diuisio placet, qua totum vniuersum in cælum & terram scinditur. Perinde, aiunt, foret, ac si Galliam in contemptissimam casam, quæ iuxta Parisios cernitur, & reliquas prouincias diuideretur.

§. XV.

Sed caue tamen, ne proportionem in dichotomiis & trichotomiis quæras. Istud Peripatetici in *Rameis* carpunt: hoc Jurisconsulti in *Wesfenbecio*, aliisque.

§. XVI.

§. XVI.

Caue etiam, ne partes per negationem solam exprimas, (quod *Rameis* propter dichotomias familiare erat) eaque ratione nouis subdiuisionibus indigeas: quam methodum argute exagita-uit *Christianus Weisus*.

CAP. VII.
DE
DEFINITIONE

§. I.

VT vero diuisio rem sistit per partes, ostenditque, quotuplex ea sit; ita DEFINITIO per partes *declarat*, quid illa sit.

§. II.

Res hic late sumitur, significatque vel rem in specie sic dictam, vel nomen.

§. III.

Ergo *definitio* vel est *nominis*,¹ vel *rei*.

§. IV.

Illam vocem non bene omnibus notam notioribus exponit.

§. V.

§. V.

Igitur non quæritur de definitione nominis, quam hominum opinio atque usus communis stabilivit, sed de illa, quam proprio usu delegimus,

§. VI.

Hic autem cum non cognoscatur ab uniuersis, sed a nostro arbitrio pendeat, declarari debet.

§. VII.

Quod vero arbitrarium est, a nemine in dubium vocari iure potest. Sic libere *maiestatis* vocem ad patriam potestatem designandam adhibeo, ut fecere Quintilianus ac Valerius Maximus.

§. VIII.

Itaque nominum definitiones principiorum sæpe locum tuentur: & is, qui controuersiam propterea mouet, merito dicitur *λογμαχεϊν*.

Dicatur de patribus nonnullis, qui ad hunc scopulum allifere. Laudetur FABRICII *Scylla theologica*.

§. IX.

Eiusmodi enim definitiones ea de
caussa

caussa adhibentur, vt recte ab aliis intelligantur loquentes, omnesque de vocibus altercationes inutiles præscindantur. Quod cum ceteri non semper obseruauerint philosophi, mathematici foli laureolam inuenisse sibi videntur.

§. X.

Sed caue tamen, ne omnia nomina definias, & in meridie lucem accendas, aut, quod fieri non potest, affectes.

Peccarunt hic sæpe mathematici nimiam *αυγίστων* sectantes. Sic per se intelligitur, quid significetur per *solem*.

§. XI.

Caue, ne notas iam definitiones temere immutes; aut, si sit necesse, a recepto vsu nimium discedas.

Notetur *Sabmasus*, qui sine causa a definitione *mutui* recepta abiit; ac dominium aliter, quam *ICti* ceteri, definiuit. Simulque *Scholasticis* culpenitur, qui voces certis ideis affixas alio inepte flexerunt. Similem querimoniam de chymicis *I. Clericus* in medicum affert.

§. XII.

§. XII.

Caue, ne a definitione semel constituta minus cogitate resiliās, eoque pacto vel auditorem, vel lectorem denuo confundas.

Id *Puffendorffio* in singulari epistola obiecit *Leibnitius*: hoc *Seldeno* adtribuerunt alii: id ipsi *Euclidi* vitio vertit *Clericus* in *Log.* p. 177.

§. XIII.

Caue denique, ne, quod faciunt nonnulli, nominis definitionem cum ea, quæ est rei, commisceas.

§. XIV.

Hæc enim naturam rei, quæ extra nos est, aperit, adeoque nostro arbitrato non videtur relicta, nec *principii* vicem sustinet, sed hominum disputationibus haud raro subiicitur; quod non perpendit *Hobbefius*, reprehensus ideo in *A&E. Erud.* Lips. a. 1684. p. 540.

§. XV.

Et est vel *accurata*, vel *minus accurata*.

§. XVI.



§. XVI.

Posteriorem DESCRIPTIONEM in scholis vocant, quoniam rem leuiter ac rudi penicillo describit, atque aliquas tantum qualitates, quæ in re inueniuntur, nominat.

Dicatur de oratoribus ac poetis, quibus *descriptions* frequentantur.

§. XVII.

Prior vero proletaria quarundam proprietatum recensione contenta non est, sed latiore ideam, quæ aliis quoque rebus communis videtur, peculiariter circumscribit, ac rem a communitate, quæ sita differentia, disiungit. Ita triangulus intuitu linearum atque angulorum conuenit quadrangulo, sed eorundem numero ab altero clarissime discernitur.

§. XVIII.

Tantum prospice, ne, quod clarius intelligi nequit, ea ratione definire gestias, aut etiam *Philogizias* vitio aliquid indulgeas.

Illustretur res *Galini* lepido dicto, qui suo tempore huiusmodi irrepsisse dementiam

tiam

tiam memorat, nemo ut olus voluerit emere sine *definitione*.

§. XIX.

Fac potius, ut res, quæ cognosci potest ac debet, velut in breui tabella cernatur *evidentius*, adeoque a vocibus synonymicis, inusitatis, ambiguis, impropriis, definiendis, negantibus, quoad fieri potest, abstine, ne finem definitionis inconsulte negligas.

§. XX.

Fac, ut definitio, quam struis, adæquata sit definito, nec plus contineat, quam fert natura definiti, nec minus, quam patitur rei ipsius consideratio. Alias in errorem prolabaris necesse est, quem definiendo studeas deuitare. Ita perperam definiretur mens substantia inuisibilis, aut corpus substantia extensa visibilis. Quod ad prius, dantur sane substantiæ, quæ ad mentium classem non pertinent, & dantur itidem substantiæ extensæ inuisibiles, quæ de corporum numero euelli neuiquam possunt.

§. XXI.

Quæ si obserues, ceteris tuto regulis

K

gulis



gulis ac requisitis carebis, quæ ingenia excogitarunt otiosa.

CAP. VIII.

DE

VERBIS AC PARTICULIS.

§. I.

VT in iudiciis connexio inter subiectum & prædicatum; ita in propositionibus, quæ iudiciorum indices sunt, medium connectendi, quod vocatur *verbum*, obseruatur.

§. II.

Connectere significat adfirmare.

§. III.

Ergo verbum adfirmationis gratia inuentum est primo, vnumque credo suffecisset.

§. IV.

At posteaquam homines præter adfirmationem alias qualitates, quo compendiosius loquerentur, adfixere verbis, factum est, vt prodirent infinita, quia

quia infinitæ sunt rerum proprietates ac qualitates.

Differatur de verbo substantiuo *sum*, quod primum adhuc ostendit vsum, eamque ob causam κατ' ἐξοχήν vocatur copula.

§. V.

His cum adderent sæpe considerationem subiecti, quod loquitur, vel cui loquimur, itemque temporis, actionis, & passionis, eorumque, quæ neutrius generis sunt, atque aliarum conditionum rationem haberent, personæ, tempora, modi, actiua, passiua, neutra sunt coorta.

§. VI.

Quibus expensis videri sane posset, non aliud, præter verbum, connexionis vinculum fore necessarium; sed cum tamen plures sæpe propositiones coniungamus, & quasi colligemus, atque etiam vnum ab altero remoueamus, id est, negemus; hinc variis particulis, quæ sunt totidem fere clauiculæ, in omni idiomate locus est concessus.

§. VII.

Vnde haud male iudicarunt, qui artem bene ac cogitate loquendi in recto particularum usu constituerunt.

§. VIII.

Quem sicut in Grammatica vulgari neglexerunt; ita in arte ratiocinandi tanto magis commendamus, quanto consultius est, omnes mentis nostræ intueri formas, quoties eiusmodi vocalis in sermone utimur.

Differatur de *Nollii, Tursellini & Deuarii* libellis, quos de particulis latinæ, hebrææ ac græcæ linguæ in vulgus emiserunt.

§. IX.

Quocirca coniunctiones supra paulo accuratius considerauimus, atque, modalium propositionum occasione, nonnihil de aduerbiis inspersimus, postetque de præpositionibus atque interiectionibus haud dissimilis consideratio institui.

CAP. IX.

CAP. IX.
HISTORIA LIBRI II. LOGI-
CAE VVLGARIS.

§. I.

VT a litteris Grammatici ad syllabas & dictiones progrediuntur; ita Aristoteles a terminis ad affirmationem & negationem, velut veritatis ac falsitatis sedem processit.

§. II.

Ob quam causam is quoque librum *περί ἑρμηνείας de interpretatione* scripsit; sub quo nomine, ut est apud *Ammonium*, orationem enunciativam, seu λόγον ἀποφαντικὸν intellexit.

§. III.

Et hunc enim *Stagirita* doctrinae de syllogismo censuit praemittendum, utpote qui ex pluribus propositionibus componitur.

Quare *Andronicus Rhodius* hunc libellum *Aristoteli* adtribuere dubitauerit? cur

Annonius aliique magistro iterum vindicauerint? Expendantur rationes in utramque partem.

§. IV.

Inde autem scholastici ansam arripuerunt, ut quendam quasi enunciationum anatomen instituerent, & aliena immiscerent, & minutias sectarentur: veritatis ac verisimilitudinis genuino criterio omisso.

§. V.

Totus enim conuersionis & æquipoſſentia apparatus soli ſyllogiſmorum reductioni inferuit, qua non niſi homines otioſiſſimi itemque ineptiſſimi delectantur.

§. VI.

De definitione ac diuifione pauca & quali. *ἐν παρόδῳ* nonnulla tantum ſunt inſperſa.

§. VII.

Cum enim arti ſyllogiſticae aut nihil, aut perparum auxilii præſtent, contigit, ut illa prætereundo pro propoſitione neceſſaria, quam *καθόλου πρώτον* vocauit philoſophus, vendicaretur, quena-

quemadmodum illa altera in disiunctiuarum classem fuit detrusa.

§. VIII,

De *oppositionum* generibus vero propterea tam copiose sunt philosophati, quoniam ex positu signorum potius, quam ex ipsius rei contemplatione de veritate ac falsitate iudicare constituentur.

LIB. III.

CAP. I.

DE

METHODO EIVSQVE
DIVISIONIBVS.

§. I.

Quod anima est homini, illud *methodus* atque ordo veritatem quærentibus. Neque enim scire sufficit, formare ac comparare inter se ideas: requiritur, vt plures enunciationes connectantur, atque sic tandem plena, ac certa, circuitione qua-

cunque præcisa, nostra, aliorumque cognitio reddatur.

§. II.

Itaque *methodi* vocem late fumimus, vt significet ordinationem in rebus aut cognoscendis, aut proponendis.

Illustretur vocabulum *methodi* ex etymologia Græci idiomatis, ostendaturque nimium videri accuratos, qui inter *methodum* & *ordinem*, nescio, quam differentiam exculant. *Ordo*, dicunt, vnum post aliud ponit; *methodus* ab vno tranfit ad aliud.

§. III.

Ergo *methodus* vulgo duplex statuitur. *Vna*, qua veritatem ipsi inuenimus, altera, qua inuentam cum aliis communicamus. Vnde primam *inventionis*, secundam *doctrinæ* appellant.

§. IV.

Sed facile potest ostendi, non aliter doceri veritatem, quam inueniri, inque cassum laborasse omnes, qui in didascalica *methodo* elaboranda oleum atque operam consumsere. Quas adfe-

adferunt differentias, ex accidenti sumunt.

§. V.

Quare videndum, quomodo inueniamus veritatem ipsimet.

§. VI.

Et fit autem illud duplici ratione. Nam aut ipsi cogitationes nostras apposite ordinamus, aut ordinatas ab aliis approbamus, & in vsus nostros conuertimus.

§. VII.

Vtraque CERTVM pro fine habet.

§. VIII.

A certo autem auertimur vel affectu, vel rerum insigni copia, quas facile confundimus.

§. IX.

Igitur ante omnia hæc, quæ indicauimus, remouenda sunt impedimenta, & remouenda quidem, si quid intelligimus, attentione sola.

§. X.

Tam enim efficiet illa, ne animo
K 5 per-

perturbationibus obruto ad veritatis inuestigationem accedamus, quam, ne nimium festinantes cœcos, vt est in proverbio, catulos pariamus.

§. XI.

Homo diligens vero, seu attentus 1) statum quæstionis rite format.

§. XII.

Homo diligens 2) vniuersas ac singulas partes accurate circumspicit & a facilioribus cognitu incipit, *Zabarella* & *Piccolomini* altercationes parum curans de prioribus natura, & prioribus cognitu.

§. XIII.

Homo diligens 3) nil nisi probatum, aut per se euidens pro vero accipit.

§. XIV.

Homo diligens 4) in omni progressionis gradu nexum præcedentis & sequentis propositionis simili ardore examinat.

§. XXV.

Atque has quidem regulas generales obseruat, siue a specialibus ascendat ad ea, quæ videntur magis vniuersalia, siue

sive ab his descendat ad specialiora; totam disciplinam pertractet, an thema singulare.

§. XVI.

Recentiores modum priorem *analysis*, posteriorem *synthesin* appellant.

§. XVII.

Vnde methodus non male iterum diuidetur in *analyticam* & *syntheticam*.

Sunt, qui existimant, ἀναλύσεως & συνθέσεως vocabula perperam hic adhiberi. Neque enim eam aliquid resolueret: multo minus hanc aliquid componere. Sed recte obseruauit *Bernbardus Lamius* in *elementis Mathematicis*, non esse quærendum, quid verba græca secundum etymologiam, sed usum Philosophorum iam significant.

§. XVIII.

Vtraque utimur, siue ipsi aliquid inueniamus, siue ab aliis inuenta relegamus, & rationes eorum de nouo examinemus.

CAP. II.



CAP. II.
DE
METHODO ANALYTICA
IN SPECIE.

§. I.

ERgo igitur a specialibus contēdimus per analyfin ad principia, seu axiomata, & in hisce demum acquiescimus.

§. II.

Vnde necesse est, vt primum exacte delineetur quæstionis propositæ status, ne andabatarum more pugnemus, vel ad modum psittacorum loquamur.

§ III.

Vt autem id apposite fiat, separamus omnia, quæ eo non pertinent, nosque remorari in progressionē apta sunt, addimusque, quæ omitti neuiquam possunt.

§. IV.

Ita quando dicimus, Regina Angliæ *Elisabetha* erat pulcherrima, Maria vero Scotiæ Regina eodem merito elogio mactabatur; non intelligimus fa-
nc

ne quæstionem, nisi remoueamus prius ideam absolutæ vndique pulchritudinis, ac deinde addamus, Elisabetham in Anglia, Mariam in Scotia fuisse longe formosissimam. Eo pacto omnes nebulae diffugient. Tali ratione ipsi Elisabethæ respondit *Meluilus* Scotus.

§. V.

Hoc facto cognitum separandum est ab incognito. Fac igitur, me in hac quæstione: an Angli cum Francis prudenter pacis foedus componant, perspicue (*) cognoscere, ab Anglis hodie pacem cum Rege Gallia iniri, restabit tamen altera quæstionis pars, vtrum prudenter agant, an imprudenter?

(*) Si factum non adeo perspicue intelligatur, quæstio an? excutitur prius.

§. VI.

Quod vt eadem felicitate efficiatur, definienda est prudentia, quæ *durable & tutum & honestum iustumque respicit*. Deinde consideranda *relatio* inter notum & ignotum; cumque hæc sæpe inueniatur multiplex, seorsum ponenda sunt singula membra. Igitur
1) sta

1) statum Reipublicæ Anglicanæ confere cum Gallia. 2) Quæ vires huic in præsentia, quæ alteri signo. 3) Qui foederati, quæ victoriæ? 4) quod a foederatis periculum? 5) quæ inclinatio vtriusque populi? 6) quæ Gallis & Hispanis coniunctim consideratis potentia? quæ Anglis separatim a reliquis foedere coniunctis? 7) Quæ fides a Francis, quæ sit speranda ab Hispanis? 8) An potentiori sit credendum? 9) an foedifragis? 10) an pactorum conculcanda religio? quæ 11) Batauorum, quæ Germanorum indoles? *cetera.*

§. VII.

Talia cum meditando sumus adsecuti, tum membra plura, quæ numero nos obruerent, redigimus ad pauciora, ac certis, ne obliuiscamur, nominibus, seu notulis signamus e. g. 1) Britannia Reipublica 2) eiusdem conseruatio 3) hostium perfidorum potentia 4) amicorum indigentia 5) occasio fauorabilis.

§. VIII.

Eo peracto noua merito inter pauciora membra comparatio instituitur, ac

ac verbis exprimitur vnaquæque: dubi-
umque non est, quin & axiomata &
lemmata se sint datura facile c. g. 1) *Qui*
se sine sociorum auxilio seruare nequit,
socios non spernat. 2) *Qui perfidis &*
fædisfragis fedit bonum durabile & secu-
ritatem non obtinebit. 3) *Qui hæc ne-*
gligit coniunctim, aut seorsum, impru-
dens habetur. 4) *Qui hostes potentiores*
& perfidos non deprimit, cum potest, &
eos deuicit, temere agit, non autem pro-
uidenter. 5) *Qui amicos hostibus post*
ponit errat. 6) *Qui fæderatos contra*
pacti leges deserit, peccat, cetera. Lemmata
ASSUMTIONES sunt. Vnde, si velis, in
syllogismi formam facile transferes sin-
gula: dummodo ne credas, syllogis-
mum formalem & ARTIFICIALEM ne-
cessario requiri ad analysin, aut sine syl-
logismo Aristotelico te inuenturum ne
quidquam.

§. IX.

Potius examines, relegas, abscindas,
quæ adhuc videri possunt superuacua,
concludasque demum: *Anglos utilitati-*
bus & honori suo minus bene prospicere,
quod pactorum immemores contemnunt
amicos, a quibus nihil periculi imminet;
fiduciamque ponant in Rege potentiori,
fædi-

fædisfrago, a quo mala imminent omnia; sed quem spreta fallaci pace, post tot obrentas victorias legibus potuissent feliciter coercere.

§. X.

Ea ratione analysis, quæ antea nesciebamus, patefacit, exploratumque est, & verisimile, & certum eadem via inueniri.

§. XI.

Sed caue tamen, ne ad vltimum in omni causa principium adsurgas. Sæpe occasio, locus, non patitur. Satis est, si, quod tractas, clare inuenias: alioquin omittas.

§. XII.

Hac labe libri, qui optimæ notæ habentur, nonnunquam laborant.

CAPVT III.

DE

METHODO SYNTHETICA
IN SPECIE, QUAM DEMONSTRATIONEM VOCANT
NONNVLLI.

§. I.

§. I.

Est quidem methodus analytica copiosior, est etiam intuitu nostri clarior; sed est tamen eadem multo difficilior, aliorumque ratione interdum obscurior. Neque enim omnes auditores atque lectores aures attentè arrigunt, animunquē, remotis alienis, patienter aduertunt.

§. II.

Ergo sæpe *SYNTHETICA*, utpote breuiori, ceu diximus, in docendo vrimur, aque principiis ad conclusiones descendimus.

§. III.

Vnde multi hanc solam methodum doctrinæ, seu didascalicam appellarunt: in quo falluntur.

§. IV.

Fieri enim potest, ac sæpe fit, ut per synthefin veritatem quoque inueniamus, & per analyfin doceamus. Tantum vna est difficilior altera; proque diuerfitate adiunctorum alteri præferenda altera videtur: quod iam *Thomas Goueanus* in *Logica elenctica*, itemque

L

que

que *Bernhardus Lamius* in elementis
Matheſeos ſupra laudatis adnotarunt.

§. V.

Vt autem in *ſyntheſi* regulæ eæ-
dem, atque in *analyſi* obſervantur ge-
nerales; ita etiam ea nonnullis fulcitur
regulis ſpecialibus: ſed quæ tamen e
generalibus fluunt.

§. VI.

Itaque, ne longius abeamus, etiam
hac via detegenda eſt res antea incogni-
ta. Quod vero cognoscere geſtio, at-
tente contemplor, vt tandem aperia-
tur eiſdem natura.

§. VII.

Aperire naturam rei ſignificat *de-
finire.*

§. VIII.

Huic autem *apertura* cum ſæpe
obſiſtat nominum ambiguitas, etiam
hæc explicantur, quemadmodum in li-
bro II. mouimus.

§. IX.

Sed leui tamen opera DEFINITIO
nomi-

nominis & rei dignoscitur. Illa nomen verbis aliis effert. Hæc rem secundum primarias partes conspiciendam præbet.

§. X.

Quod per se omnibus notum, aut mediocri diligentia percipitur, concedi *postulatur.*

§. XI.

Per se nota **AXIOMATA** dicuntur, seu principia: quæ veluti lumina ad manus sint oportet, si detegenda atque illustranda sit nondum nota veritas.

§. XII.

Igitur providendum, ne quid **AXIOMATIS** loco accipiatur, aut tanquam **POSTULATVM** adhibeatur, quod dubius est subiectum sat grauibus: quamuis nemo facile contradixerit. Dantur enim, vt iam obseruauimus, errores antiqui.

§. XIII.

His autem mediis, puta, definitionibus, postulatis, axiomatibus demonstrantur, seu deteguntur theoremata & quæstiones, seu problemata solubilia quæcunque.



§. XIV.

Cetera, quæ ad demonstrationem nihil faciunt, hoc est, argumenta leuia, & superflua abscinduntur. Neque enim numerantur argumenta, sed ponderantur.

§. XV.

Atque ita vero LEMMATA merito excipias, quibus tanquam ansis utimur ad apprehendendam, quam quærimus, veritatem.

§. XVI.

Ea inuenta, COROLLARIA adiicimus, seu porismata. Neque enim adeo sterilis est veritas, ut aliam sinu suo non contineat, eamque, cum fert occasio, in lucem emittat; neque etiam adeo absconditus quisquam, ut quod in præcedenti veritate demonstrata & agnita latet, non itidem statim videat. Si quis hic labatur, non res, sed nominis ambiguitas in culpa erit.

§. XVII.

Quod ut euidenter percipiatur, finge, me hanc propositionem, præter multorum opinionem, sumsisse demonstrandam: *Anima sua natura est immortalis.*

talis. Hic, ne offendam, dico primum, me per *animam* intelligere id, quod in hominibus cogitat, quidquid fit. *Immortale* appello, quod non interit, sed superstes manet. *Sua natura* idem ac per se sonat, excluditurque hoc modo principium corruptionis intrinsecum. Iam cum obseruauerim, ab iis, quæ mutantur atque intereunt, aliquid vel subtrahi, vel abscindi, concludo, & tanquam CONCESSVM adsumo, omne mutabile, seu sua natura mortale habere partes. Vbi nullæ sunt partes, (*en! Axiomata*) ibi nihil subtrahi, nihil potest abscindi. Vbi nulla subtractio, ibi nulla dissolutio. Vbi nulla dissolutio, nulla mors. IN ANI-MA non inueniuntur partes. Non velle, non intelligere aliquid diuisibile continet (*en! Lemma*). Ergo in se anima indiuisibilis est, ergo etiam immortalis. Quid autem DEUS possit, iam non quæritur. Quod si vero in se immortalis est, SEQVITVR, vt a nulla humana potentia possit interimi. In hac demonstratione habes *definitiones, postulatam, axiomata, lemma, consectorium.* Quod si obseruaueris, quare aliqui in contrariam opinionem deuenerint, & qua ratione, ceu SCHOLIUM adicies.

§. XVIII.

Neque enim necessarium est, verba Ioannis Clerici sequor, ut stylus semper & ordo Geometrarum in omni scriptione obseruetur, & definitiones seorsum & ab omni ratiocinatione seiunctæ ponantur; dein axiomata eodem modo ab omnibus aliis diuerse scribantur: postremo denique omnia in argumenta tribus propositionibus constantia digerantur, eodemque compendio verborum utamur, ac solent Geometræ. Sufficit, in eam methodum, si necesse sit, posse redigi cuncta. Pauci eiusmodi longam seriem æquo animo præstolantur, aut ad eam sine tædio mentem aduertunt.

§. XIX.

Ex his vero facile elucent, quæ alias circa demonstrationem monent auctores obseruanda.

§. XX.

Nam dum incognitam veritatem demonstrari diximus, sequitur, ut propositio euidens demonstrari non debeat, sed enunciari tantum, aut, si sit figura, ostendi.

Nota-

Notavit hac parte *I. Cericus* & *I. Petrus Crofa* Mathematicos quoque, qui interdum probant, quæ probari non est necesse. Retulit etiam *Petrus Badius* in dictionario suo sub voce *Catius* lepidam de mathematico Parisiensi historiam.

§. XXI.

Dum demonstratione quæstionem fieri clariorem ostendimus, sequitur, ut etiam causa veritatis demonstratæ sit indicanda. Haud raro enim de ipsa veritate dubitamus, quando causam nescimus.

Peccant hic iterum Mathematici vna cum aliis, ut eruditis permultis, qui causas in probando sæpe negligunt.

§. XXII.

Dum autem veritatem innuimus demonstrandam, demonstrationes ab *impossibili*, ut in scholis loquuntur, & indirectas, quoad fieri potest, & tantisper remouemus: quoniam per eas non tam probatur veritas, quam declinatur error.

Illidunt in hunc scopulum iterum Mathematici, qui passim probant ab impossibili: illidunt etiam alii.

§. XXIII.

Tantum quæritur, vtrum nobismet ipsis aliquid demonstremus, an solum aliis? Sunt enim, qui nihil demonstrari nobis existimant, quoniam, quæ demonstramus, iam perspicue intelligimus. Sed aperte ludunt voce demonstrandi. Quod si enim methodus synthetica & demonstratio promiscue capiantur, dubium non est, quin sæpe etiam methodo synthetica, vt iam monuimus, veritatem ipsimet inueniamus; sin vero demonstrare sonet id, quod iam tenemus, aliis probare & aperire, tum sane nemo aperiet sibi, quod iam habet compertum.

§. XXIV.

Atque inde vero perspicuum fit, quo sensu methodus dicatur arbitraria. Perinde enim est per ἀνάλυσιν incedas, an per σύνθεσιν. Obtinuisse apposite veritatem sufficit, siue tute inuestiges, siue, vt inueniant alii, efficias. Qui alias quoque methodos inconcinnas arbitra-

bitrarias appellant, illi perinde faciunt, ac si homines libere insanire ac garrere pronuntient.

§. XXV.

Ceterum caue, ne eos, qui veritatis demonstrationem pro fine non habent, uti sunt oratores, & poetæ, dictis legibus seuerè adstringas, aut etiam in congressibus omnibusque locis tantam *causæ* exposcas.

§. XXVI.

Caue etiam, ne aliam in themate singulari, aliam in integra disciplina proponenda methodum effingas: quamuis permittam, non omnes disciplinas geometrico ordine posse demonstrari integre. Sunt enim multæ dubiæ, ut physica, & medicina, eoque perpetuo manebunt incompertæ. In his demonstrandum, quod euidenter potest intelligi. Cetera obseruantur, atque memoriæ, ut alia, quæ per experientiam cognoscimus, imprimuntur.

Notentur scholastici, qui disciplinis certas methodos adsignarunt; & philosophiam moralem analytica, physicam synthetica pertractandam censuere.

L. 5

§. XXVII.



§. XXVII.

Iis vero, qui omnem demonstrationis firmitatem, quemadmodum *Marius Nizolius*, impugnant, aut enthusiasmum loco methodi substituunt, quod fecit *Poiretus*, nihil reponimus.

Declaratur, qua ratione *Nizolius* in tam immanem errorem sit prolapsus. Laudetur *Leibnitii* præfatio ad Antibarbarum huius Ciceroniani.

§. XXVIII.

Postremi etenim, itemque priores elleboro potius, quam argumentis, quæ vel vane student elidere, vel non recipiunt meticulosi, ad fanitatem reducuntur.

Commendetur *Merici Casauboni* tractatus de *enthusiasmo*, itemque *Lockii* meditatio, quam libro de *intellectu humano* inseruit. Quibus *Crosam* addas tum in *Logica Gallica*, tum *Latina* egregie fanaticos confutantem.

CAP. IV.

CAP. IV.

DE

PSEUDO - METHODIS.

§. I.

Vtramque methodum syntheticam & analyticam attentionem requirere insignem, si ordine omnia inchoari debeant, itemque perfici, percepimus. Sed vero, quum paucissimi ea inueniantur præditi, factum est, ut viam breuiorem adfectarent plerique tædiumque sibi abstergi postularent fere omnes.

§. II.

In quo, etsi videntur aliquid rationis habere, quando circuitus omnes & multitudinem inutilium regularum præscindi petunt; vereor tamen, ne hoc velo ignauiam suam obtegant, ac meditationem, quæ mentem aliorsum dilabi vix patitur, omni studio deuitantes a genuino veritatis tramite deflectant.

§. III.

Hinc enim est, quod de inuentione *medii* veteres varia inaniter moneant,

ant, *Ramei* vero ad locos *Topicos* confugiant & cum his multi recentiorum: inde hi instrumenta & adiuventa producant: iisdem inueniri veritates quascunque sibi persuadent: his deliciis plures immoriuntur.

Copiose hanc methodum perstrinximus in *observationum Hallensium* Tom. I. Præcepta autem de inuentione medii asinis ad fragilem pontem struendam merito relinquuntur.

§. IV.

Ipsè *Morhofius* huic ineptæ methodo non nihil auctoritatis conciliauit, quod feliciter se ea vsum in *Polybistore* suo scripsisset. Sed præterquam, quod isti loculi continent ideas vagas, ac sæpe decipiunt quærentes, etiam periculosi videntur, quod mentem a contemplatione rerum abstrahant; eamque ad vulgaria, quæquæ nesciri sæpius præstat, conuertant.

Laudetur *Quintilianus*, qui parum dicto artificio tribuit: quanquam *Tullius* multis verbis *Aristotelis* *Topica* *Trebatio* commendat.

§. V.

§. V.

Haud dissimiles ineptias in *categoriarum* vulgari vsu supra obseruauimus; quas repetere nunc quidem nolumus.

§. VI.

Eadem vanitate ars *Lulliana*, & quæ huic similia videntur inuenta, laborant; quibus non tam apte cogitare, ac cogitate loqui addiscunt inuenes; quam insulse blaterare, prout insullis cogitationibus animum distinent iidem.

§. VII.

Vnde inania sunt, quæ *Morhofius* iterum multique alii de stupenda artis *Lullianæ* vtilitate iactant. Stulti enim forent eruditi omnes, si hanc viam negligerent, qua tantum profecissent viri omni doctrina florentes. Sed timeo iterum, ne aut non fuerint tanta eruditione exculti, aut omnia sint falsa & commentitia, quæ de talium profectuum causa in medium feruntur.

§. VIII.

Id addo, talia inuenta res magis implicare, quam extricare. Quod contra

tra eos videtur obseruandum, qui de difficultate synthetica & analytica methodi ignaue conqueruntur.

§. IX.

Pari ratione minus bene consulunt adolescentibus, qui variis rebus memoriam, seposito mentis iudicio, replendam statuunt: sunt sane animo imprimenda plura cum ratione, vt inuenire, quando fert occasio, statim possis. Satius enim est, nescire multa, quam intelligere confuse, atque ignorare, vbi sint reposita.

§. X.

Quamobrem parum nobis eorum probatur consilium, qui per imagines, metaphoras, apologos, fabulas, chartas lusorias, aliaque signa doctrinam instillare iuuentuti cupiunt. Infantibus, quorum nullum mentis iudicium est, talia porriguntur, non vt cogitent apte, sed ne vel diffluant otio, vel querula voce nobis obstrepant.

Differatur interea, quare veteres & nouitii spuris eiusmodi methodis vsi fuerint eorumque artes in fallendis hominibus; detegantur. Quas, quare approbet *Morhofius*, non est, quod miremur, si ean-

eandem ab eruditis fabulam ludi, quam
luserunt olim, teneamus.

§. XI.

Vix maiori elogio notissima *caus-
sorum* methodus videtur digna. Quam-
uis enim demonstrare rem sit per caus-
sam cognoscere, non tamen omnium
semper *caussarum* repetita cognitio pro-
dest. Ita merito ridetur, qui pedicu-
li finem vltimum gloriam DEI nomi-
nat.

§. XII.

Cui non obest, actus humanos
per *caussarum* figuras optime ostendi.
Nego enim, omnium *caussarum* mæn-
tionem etiam in illis prodesse. Multa
clarius intelligimus, quam cum quatu-
or *caussarum* campanæ tinniunt: vt ta-
ceam, discerpi idearum nexum, arenam-
que in multis libellis moralibus ac iuri-
dicis apparere sine calce.

Dicatur, quare Iurisperiti huic sese ordini
mancipauerint, eamque *Ioannes Ni-
colaus Hertius*, vir clarissimus, pro
ris atque focis defenderit.

§. XIII.

Sed scio, vnde confirmatiores in o-
pinio-

pinione, quam quidam elegere, redditi fuerint. Crediderunt, eum in naturam rerum felicius penetrare, qui omnia, quæ de iis dici & obseruari possunt, in vnum aceruum conuehit, quam qui pauciora apte digerit. Quod quam sit absorum, nemo est paullo humanior, qui non videat.

§. XIV.

Ergo inquirendum restat, vtrum syllogismus in commentitiarum methodorum classem referendus sit, an vero inueniendæ veritatis efficacissimum instrumentum sit? quod singulari capite examinabimus.

CAP. V.

DE

SYLLOGISMIS IN GENERE
EORVMQVE VSV.

§. I.

AT Domitianæ quæstioni nostra forte similis videbitur, an syllogismus inueniendæ veritatis medium sit? Saltem Aristotelici omnes

mnēs, & Stoicorum vniuersā natio, & plerorumque magistrorum suffragia eam affirmate definiuerunt. Solus post Aristotelem Epicurus in diuersa abiit; eumque recentiores nonnulli sunt sectati.

§. II.

Verumtamen, quum non tantum videndum sit, quot, & qui aliquid affirmant, sed quam bene, quam rationi conuenienter, idcirco nobis quoque fas erit, inquirere in opinionem vulgo receptam.

§. III.

Igitur ante omnia repetimus, inuenire veritatem significare rei naturam, vel qualitates detegere, quæ antea fuere occultæ.

§. IV.

Iam vero constat, conclusionem, antequam subiectum & prædicatum conclusionis cum tertia ac media idea inter se comparentur, prius debere esse nota vna cum caussa, quam terminum *medium* dicimus.

§. V.

Quod vero iam notum est, id sane,
M ne,

ne, interueniente forma syllogismi, nec noue detegendum est, nec noue detegitur.

§. VI.

Qui secus sentiunt, causam & medium probandi thesin syllogismi ope inueniri gloriantur.

§. VII.

Ego vero iterum hos homines rogo atque iterum, vt aperiant cordate, quomodo id syllogismi auxilio peragatur.

§. VIII.

Illud deprehendo, me, quando syllogisticam figuram exstruo, quærere medium comparandi subiectum & prædicatum iam notæ conclusionis; sed ambiguum non tantum, verum etiam falsum est, me vel id facere, vel obtinere adminiculante syllogismo Aristotelico.

§. IX.

Quod vt euentissime eluceat, finge, me iudicare, accendendam esse candelam. Dubium non est, quin tenebræ, quæ ingruunt, vel iam adsunt, vel aliud quidpiam in causa sit, quare candelæ

delæ exposcam subsidium. Non inficias eo, posse nunc, quia inuenta est accensionis caussa, ædificari syllogismini cuiusdam casulam: sed pernego, causam, vel ideam mediam inuentam fuisse ope ratiocinationis syllogisticæ. Candela accendenda est, quia tenebræ obscuritatem induxerunt; etsi nec maior per *signum vniuersale*, nec minor per *atqui*, nec conclusio per *ergo* exprimitur. Tantum, si sapias, perpende, nos tum demum in altum tollere ædificii partes, & adiungere, seu diducere cubicula, quando iam acta fundamenta, & partes omnes præsto sunt. Tu vero ædificio vis inuenire partes ædificii, hoc est, ædificii partes exquirere partibus cogitas, vnde reuera, quod exstruxisti, tugurium iam coaluit. Quod quam ridiculum sit, perpendas precor.

§. X.

Ergo ignoscas, denuo te obsecro, si *μυσήγιον μέγα*, quod in *barbara* vidisti, atque *celarent*, minime agnoscam; sed confidenter potius pronunciem: *eos tenui admodum iudicio pollere, qui syllogismum tanquam medium inueniendi veritatem improvide iactant.*

M 2

Illu:

Illustrretur nunc Epicuri de syllogismo doctrina.

§. XI.

Nec iuuat, posse tamen ratiocinationes omnes in syllogismi formam redigi. Possunt eadem in ligatam orationem transfundi. Quis vero carmen medium inueniendi veritatem appellabit?

§. XII.

Sed scio *πρώτον* dissentientium *ψεύδος*. Omnem illi *ILLATIONEM* syllogismum vocant, si non apertum, crypticum tamen: quasi scilicet idearum connexionem, & quæ ex iis componuntur, noua iudicia nemo intelligat perspicue, nisi dialecticorum formulis, tanquam conspiciis, vtatur. Homines natua ingenii vi ad inferendum & aliquid e notiori colligendum proclines sunt: parum illis ars commentitia prodest.

§. XIII.

Itaque qui veritatem serio scrutatur, ordine naturali ac simplici ideas locat, dispositas ea ratione intuetur, & ab eiusmodi fastidiosa atque inutili repetitione, quæ haud raro fallit, pruden-

denter sæpius abstinet: quia sine illa difficili interdum seric omnia, quæ ad rei propositæ veritatem pertinent, abunde intelligit.

§. XIV.

Ergo, si quid conducatur syllogistica forma, disputantibus sane conducet, atque aduersarium impudenter apertas consequentias negantem confundet.

§. XV.

Ea vero ratione non tam veritas eiusmodi structura, quam error aperietur; quem ipsi forsitan negantes sine his instrumentis, vtut serio loqui videntur, cognoscunt. Hinc qui pugnis eruditorum imaginariis delectantur, hanc artem de meliori nota commendant.

§. XVI.

Deinde non abnuo, posse etiam veritatem, quæ iam scitur, tali propositionum figura tironibus proponi. Adulti his crepitaculis vix indigent, qui in ipsam veritatem conueniuntur.

Notetur eorum ineptia, in quibus & quidam mathematici sunt, qui integras disciplinas syllogisticis exponere conati sunt.

M 3

§ XVII.



§. XVII.

Permittam etiam, posse syllogismo orationem sæpe copiosam, multisque figuris superbientem breviorē reddi, atque adeo alterius ratiocinium fallaci specie ludens in synopsis redigi; sed potest id etiam fieri sine syllogismo, præcisis ambagibus, abiectisque ampullis.

Notetur eorum insania, qui *orationes Ciceronis* in syllogismos redigere statuerunt, aut etiam integra Poetarum carmina. Commendetur elegans hanc in rem *Petri Molinai* locus, cuius Logicam *H. Grotius* magni fecit.

§. XVIII.

Eo fine pauca de syllogismis in specie consideratis adiiciemus; ne, quod ratiocinationi utcumque inferuit, prætermisisse temere dicamur.

CAP. VI. SECT. I.
DE
SYLLOGISMIS ET IN SPECIE
DE SIMPLICIBVS REGV-
LARIBVS.

§. I.

§. I.

Quamobrem syllogismum definitio
expressionem ratiocinationis,
quæ usu longo in scholas ir-
repleat.

§. II.

Isque vel regularis, seu *perfectus*
est, vel *ἀνόματος*, seu *imperfectus*.

§. III.

Ille tribus propositionibus constat;
hic paucioribus, interdum etiam pluri-
bus.

§. IV.

REGULARIS vel *simplex* est, vel
compositus.

§. V.

SIMPLEX est, in quo medius ter-
minus, seu causa quæstionis cum vtraque
seorsum comparatur.

§. VI.

COMPOSITVS, in quo cum vtraque
componitur vniuerse.

§. VII.

Ita, quando differitur, an animi

M 4 tran-

tranquillitas sit bona, quæstio est, an prædicatum conueniat subiecto, id est, mentis tranquillitati. Quod, vt commode obrineatur, sumo mediam ideam, quæ & subiecto & prædicato aptetur. Talis est exempli gratia, *conseruationem totius humane nature promouere.* Hoc facto eam confero primum cum prædicato, deinde seorsum cum subiecto; donec ea tandem, quam cernis, structura exsurgat:

Quodcunque conseruationem humane nature promouet id sane bonum est.

Atqui tranquillitas animi conseruationem humane nature promouet. E.

§. VIII.

Quod si vero in compositi formam mutetur syllogismus simplex, nemo non videt, vno statim halitu vtramque ideam cum inuenta media componi.

Si tranquillitas animi conseruationi totius humane nature congruens est, sequitur, vt sit bona.

Atqui verum est prius. E.

§. IX.

Prioris generis argumentatio
in

in scholis acceptior est, quam secun-
di.

§. X.

Ad hanc vero homines natura ma-
gis proclives videntur: quod breuiori
via id, quod cogitant, exprimere apti
sunt. Simples moram requirunt, in-
que iis ex interuallo demum media idea
vtrique quæstionis extremo accommo-
datur.

§. XI.

Ex quo consequitur, vt ne plures
etiam in syllogismo bono *termini*, quam
tres, maior, minor, medius, inueni-
antur.

Notentur, qui maiorem terminorum nu-
merum admittunt: dumque plures ra-
tiocinationes crypticas componunt,
vnam somniant.

§. XII.

*Quemadmodum enim, verba Petri
Molinæi recito, ad cognoscendum, an
due trabes sint æquales longitudine, vni-
ca mensura sufficit, quæ vtrique seor-
sum applicetur; ita ad cognoscendum, an
predicatum conueniat cum subiecto, opus
est vno argumento, & quasi vinculo,*
M § quod

quod interuentu suo prædicatum cum subiecto contineat, copuletur.

§. XIII.

Quod vero latini termini 'nomine insigniuerunt, id Aristoteles ἀκρον extremum appellauit.

§. XIV.

Subiectum enim & prædicatum extrema theorematis, quæstionis, seu problematis constituunt : inque extremis stant.

§. XV.

In hoc maior, in illo minor latet.

§. XVI.

Prædicatum enim amplioris ut plurimum extensionis, quam subiectum est. Vnde maioris & minoris denominatio proflexit.

§. XVII.

Tertia autem idea, cum maiorem ambitum habeat, quam minor, & minorem, quam maior, simulatque commune subiecti & prædicati vinculum sit, media appellatur, uti ingeniose auguratur Wallisus.

Osten-



Ostendatur, quam ab omni verisimilitudine
abludat *resecta veritatis auctor ovó-
vymos*, qui a positu termini medii
istiusmodi permanasse nomen arbi-
tratur.

§. XVIII.

Vt autem tres termini; ita quoque
in syllogismo perfecto tres inveniun-
tur propositiones.

§. XIX.

Priores *præmissas* in scholis appel-
litant, rectius suntiones; posteriorem
conclusionem.

§. XX.

Ad huius veritatem non sufficit,
præmissas esse veritati congruentes: ne-
cesse est, vt nonnullæ cautiones ac re-
gulæ obseruentur, quarum nume-
rum aliqui augent, aliqui contra-
hant,

§. XXI.

Qui contrahunt, non solum bre-
uiori via; verum etiam accuratius in-
cedent.

§. XXII.



§. XXII.

Ergo unicam cum *Nicolio* eligo :
præmissæ debent continere conclusionem
idque ab altera ostendi : hoc est, ratio
 conclusionis inueniri debet in præmis-
 sarum vna, vel etiam vtraque. Quod
 inde potissimum confit, quia conclusi-
 onem, quæ, antequam artificialis strui-
 tur Syllogismus, nota iam est, per caus-
 sam & rationem probare satagimus. Aut
 igitur in præmissis, vel sumtionibus pro-
 batio nexus inter subiectum & prædi-
 catum conclusionis inuenitur, aut non.
 Si prius, *continetur* sane conclusio in
 vna illarum, aut, si mauius, *vtraque*:
 sin minus, Syllogismus vitiosus erit e-
 depol; quoniam nihil continet, quod
 connexionem & similitudinem subiecti
 ac prædicati indicet, arque ostendat.
 Vnde nullo negotio resoluitur Syllo-
 gismus:

N. flos est aurum

Q. metallum est aurum. E.

Q. metallum non est flos.

Ratio namque, quare quoddam metal-
 lum non sit flos, reperitur in anteceden-
 tibus, *quia N. flos est aurum*: quod in-
 terea *est metallum*. Quocirca merito
 infer-



infertur: si nullus flos est aurum, & hoc tamen est metallum; sequitur, vt quoddam metallum non sit flos. Absurdum enim dictu foret, omne metallum esse florem, cum aurum, quod est metallum, flos non sit; aut contra nullus flos aurum sit, quod ceteroquin est metalli species. CONVERTIBILES quippe enunciationes sunt: *Nullus flos est aurum, & nullum aurum est flos.* Quod in causa est, cur addiderim: conclusionis probationem quærendam aliquando in *utraque præmissarum*: obseruaturque id potissimum in argumentationibus indirectis, quales sunt Syllogismi in secunda & tertia figura plerique. Exempla cetera, quæ adtulit Cl. Syrbius p. 438. seq. pari felicitate sufflaminantur. Ceterum totius dubitationis origo a non intellecto modo loquendi: *conclusio inest vni ex præmissis; eamque altera offendit*, merito arcessitur. Putarunt dissentientes, totam conclusionem in vna præmissarum inueniri debere secundum omnes verborum apices. De quo tamen ipse *auctor artis cogitandi* iam præcepit, monuitque, ne id sibi persuaderent Lectores. Potius hæc ei sententia sedet: Et maiorem, & mino-

minorem, hoc est, binas præmissas circumspiciendas videri. In vna quippe latere conclusionis nexum eiusque rationem. Atque id est CONTINERE: alteram vero *auxilio* esse non nunquam, ut detegatur, quod latet & *continetur*, dum medium terminum iterato sistit applicatum vni subiecto, vel prædicato. Primaria difficultas est, quænam præmissarum habenda sit pro CONTINENTE. Verum cum maior sit plerumque capioris ambitus & generalior, quam minor, ex ordine suspicamur, eam esse CONTINENTEM. In Syllogismis affirmantibus autem perinde erit, in maiori, an minori nexum quæras, cum e contrario in Syllogismis negantibus coniectura vix fallat, ea in enunciatione inueniri nexum conclusionis principalem, quæ negat; cum & conclusio sit negans, Res exemplo clarior fiet:

O. *adamas est gemma*

Q. *lapis non est gemma. E.*

Q. *lapis non est adamas.*

Quæritur igitur: quam ob rem *quidam* lapis non sit adamas? Dico recte, quia non omnes lapides sunt gemmæ. Hæc ratio reperitur in *minore*. At nondum quiescis, ac sine dubio obducis: tuam
con-

conclusionem de *adamante*, non de *gemma* loqui. Idcirco ad *maiolem* me confero, enuntioque: *Adamantem esse gemmam*, & lapides permultos non referri in gemmarum classem. Et inde consequi: *Quendam lapidem non esse gemmam*. Id nunc *NICOLIVS* seu *auctor artis cogitandi* appellat *ostendere*, aut ab *altera enunciatione ostendi*: maior, an minor sit. Nam potest usu venire, sicuti indicauimus, vt & in maiore, & minore ratio connexionis sese prodat
c. g.

O. *affectibus deditus est infelix.*

O. *vitiosus est affectibus deditus*

E.

O. *vitiosus est infelix.*

Hoc loco vix intererit, quam enunciationem pro *continente* propositione habeas: cum *affectibus deditus* comprehendat *vitiosum* simulatque *infelicem*, seu *prædicatum: infelix*. At in præcedenti exemplo *gemma* non comprehendit *lapidem* quemcunque, vtut complectitur *adamantem*. Igitur ope alterius propositionis indiget, quæ ostendat, quod latet adhuc. Animaduertentur id iam veteres, *premissas* complementem & comparate applicantem nominan-

minantes. Eruditissimus ROSA regulam NICOLII pro obscura habet: non autem pro falsa, sicut perperam fecere alii. Ego vero non tam obscuram reputo, quam male intellectam a plerisque, qui veterum fastidiosis regulis, quarum causas nesciebant permulti, erant aduerti. Neque enim *Nicolius* neglexit definitionem vocabuli *continere*, itemque *ostendere*: ut taceam insignem exemplorum copiam, quibus is regulam illustravit suam.

§. XXIII.

Sed cum tamen vna res variis modis efferri soleat, non certe repugnabo asserentibus: *Omnem bonum syllogismum CONNEXAM ostendere conclusionem cum concessis.* Qui enim omnem virtutem permittit esse laudandam, temperantiam non excludit, sed includit. Qui nullum hincire hominem concedit, nec Petrum adfirmabit hincire. Qui quendam lapidem non esse gemmam statuit, secure statuet quoque, quendam non esse adamantem. Et hac ratione DICTVM DE OMNI & DICTVM DE NVLLO neutiquam repudiabo; quarum illationum species etiam Euclides pro axiomatibus

tibus habuit: negaturus de cetero, facere ista *dicta*, ut in syllogismis eudendis promptior reddaris; qui interea *problema*, seu quaestionem in *conclusionem* per rationem redditam reducant. Problema & conclusio ea ratione differunt, ut *fide facta* conclusio fiat; cum quamdiu in *incerto* hæret, problema audiat.

§. XXIV.

Ratio vero, ex qua illatio pendet, vel experientia nititur, vel accurata rerum ipsarum cognitione & comparatione. Principia reliqua vna cum *dicto* de omni & nullo verissima & instar lapidis Lydii sunt. Sed, nisi inuenieris prius similia, & dissimilia connectenda, aut separanda *comparare*; lapide isto non vteris.

§. XXV.

Multo minus autem verendum, vnicam *Nicolii* regulam probari per receptas ceteras. Potius verum est, inde demonstrari vniuersas & singulas.

§. XXVI.

Hac enim ratione clarissime intel-
N ligi-

ligitur 1) nullum in syllogismo bono *terminorum* ambiguitati locum relinqui. Alias enim nulla *præmissarum* contineret conclusionem, solueretque problema.

§. XXVII.

Intelligitur 2) ex *puris vere* negantibus nihil sequi. Nam dum omnes separant ac remouent; nihil sane continent, adeoque alterutra contentum ostendere neutiquam potest: ut taceam, duo distincta a tertio non illico videri distincta inter se.

§. XXVIII.

Intelligitur 3) conclusionem imitari debere partem *debiliorem* syllogismi. Nunquam enim negans affirmantem, nec particularis vniuersalem in sinu fouet. Clarius: non potest medius terminus, quod separat, coniungere, nec minus complecti maius. Debilior pars est negans, vel particularis.

§. XXIX.

Intelligitur 4) ex *puris particularibus* nihil concludi. Neque enim particulare aliquid continet, sed certæ significationi iam est adstrictum. Vnde
NON

non male quidam rationes subducunt, quando in syllogismo ex puris particularibus conflato plures quoque terminos agnoscunt.

§. XXX.

Omitto, 5) non *plus* esse debere in conclusione, quam in præmissis. Neque enim educitur ex illis, quod non continetur.

§. XXXI.

Omitto, 6) medium terminum non ingredi conclusionem. Etsi enim falsus propterea non fit Syllogismus; erit tamen in eo aliquid redundans: hinc iure omittitur.

§. XXXII.

Atque hæc quidem de syllogismorum forma, credo, sufficerent: sed struxit Aristoteles varias FIGURAS, seu σχήματα: imitati eum sunt *sectatores*; eadem conformationes ex situ medii *Scholasticis* placuere, ac nouitiis permultis.

§. XXXIII.

Vnde prima, secunda, tertia, & quarta denique *Galeni* innotuerunt.

§. XXXIV.

Nos merito ab istis lineis abstinemus.

mus. Etsi enim nemo negat, posse ideam *mediam* varie locari; non est tamen necesse, vt multum huic architecturæ operæ impendas.

§. XXXV.

Eminet inter omnes figura *PRIMA*. Ceteris tuto caremus: vtut conceditur, his quoque vim concludendi non posse prorsus negari.

Postremum magno nisu in logica Aristotelica *Antonius a Mara* negauit.

§. XXXVI.

Ergo etiam *MODOS*, qui ex varia *quantitate*, & *qualitate* figurarum resultant, præterimus; operamque ludere adfirmamus, qui plures existimarunt adiciendos.

Note ut *auctor artis cogitandi cum Leibnizio*, qui in *arte combinatoria* mirifice sudauit in re non adeo magni momenti. Etsi enim verum inuenit forte; certum tamen suo is labore reddidit, non omne verum professe.

§. XXXVII.

§. XXXVII.

Omittimus etiam regulas cuiusque figuræ speciales, quoniam latent in unica, quam exposuimus, generali: quid? quod, sine contemplatione syllogisticæ struis, veritas vel falsitas argumenti ex consideratione quæstionis & fundamenti, seu medi termini nullo negotio ostenditur.

§. XXXVIII.

Mittimus denique doctrinam de REDUCTIONE, quoniam omnia schemata arbitraria sunt, eoque pueri atque adolescentēs in verbis disponendis, circumagendis, aut torquendis perperam exercentur: cum nemo hodie neget, & reliquis figuris inesse facultatem concludendi, ceu primæ ad quam reducendos credidere secundæ & primæ figuræ syllogifimos.

Laudetur *Cl. Titii* de reductione iudicium, simulatque conferantur, quæ supra p. 134. adspersimus.

CAP. VI.

CAP. VI. SECT. II.

DE

SYLLOGISMIS COMPOSITIS
REGVLARIBVS.

§. I.

Syllogismus compositus in prima statim propositione, vt iam a nobis monitum, subiecti & prædicati collationem cum media idea ostendit.

§. II.

Estque vel coniunctiuus, vel dis-iunctiuus.

Sunt, qui plures species adiciunt, ac de causali, & discretiuo copiose disserunt. Alii hac diuisione contenti sunt; & merito.

§. III.

Ille vero iterum vel conditionalis, vel copulatiuus.

§. IV.

In vtroque ex concessio *antecedenti*
dedu-

deducitur *consequens*, ne repugnantia admittantur. Sic asinus necessario habiturus est pennas, quia permisisti, eum volare per auras: nec Carolus & Rex est, & subditus, quia consensisti, eum imperare ut Regem. Vnde perspicue vulgaris intelligitur regula, *posito antecedente ponitur consequens*: aut, si maus, posita causa, ponitur effectus. Causa secundum animi mei intentionem diiudicatur.

§. V.

Quare vero ex positione consequentis, non semper educatur antecedens, aut, remoto consequente, demum remoueatur antecedens, non contra, ratio est, 1) quod vnus effectus possit adtribui pluribus causis, & frustra vero 2) quærat de causa, vbi negetur effectus e.g. *si est doctus, litteris operam dedit.* Hæc propositio vera est. At si iam sumas, *litteris operam dedit,* atque inferas, *ergo est doctus*, decipiet conclusio, quoniam applicatio ad litteras non est causa doctrinæ sola. Eadem ratio in sequenti illatione occurrit: *non est doctus, ergo nullam operam nauauit litteris*: forte enim stupidus est, etsi

in litteris assiduus exitit : cum vicissim aptissima euadat conclusio , si remoueamus posterius : *nullam operam nauauit litteris, Eg. non est doctus.* Perperam enim nunc dubitatur de effectu, ubi vera & proxima tollitur causa doctrinae, hoc est, litterae, in quas non incubuit. Vno verbo : recte infertur ab effectu quocunque ad causam, non autem a causa quacunque ad effectum hunc, quia vnus effectus plures saepe sunt causae : cessante vero effectu, cessat quoque causa ; & hac deficiente etiam vanescit ille.

§. VI.

DISIUNCTIVS syllogismus plura membra opposita proponit, vt in sumptione vnum ex illis eligatur, aut tanquam concessum ponatur, eoque electo, aut posito, alterum remoueatur, ne iterum admittantur contraria. *Qui probus est, non potest videri improbus, & contra.* In conditionalibus *similia* ponimus, non *opposita*.

§. VII.

Qualitates autem non repugnantes in vno subiecto accipere sedem possunt. Adeoque admissio vno, non statim remouebitur alterum, reiectoque

que vno non etiam constituetur alterum.

§. VIII.

Perfecta vero partium oppositarum numeratio propterea est necessaria, quoniam ad electionem cogere aduersarium conamur. Non cogetur autem, si ei elabendi rima residua sit. Ita si dicam, aut vxor tua est pulchra, aut deformis, facile se excusabit, quem contractum puto, aduersarius, si adfirmet, vxorem suam ad eas pertinere, quæ sunt mediæ formæ.

§. IX.

Et recte vero statuitur, deficere legitimam partium oppositionem, vbi aliqua sit omissa, ad quam se recipere aduersarius potest, quia illam nondum concessit.

Confer, quæ de propositionibus disiunctiuis p. 127. seq. obseruauimus.

§. X.

De cetero quamuis non negem, posse eas, quas recensuimus, illationes ad vulgarium regularum amussim exigi; non minus tamen perspicuum esse arbitror, posse itidem ex accurata

N 5

idea-

idearum comparatione difficultates omnes, vt capite præcedenti de simplicibus monuimus, sine eiusmodi regularum apparatu tolli.

§. XI.

Vnum pæne præteriissem, sed quod hoc loco commode addi potest, nempe, an ex falso sequatur verum? Saltem quidam Mathematici in hanc opinionem sunt delapsi, atque inter ceteros *Tacquetus* opinatur, systema aquæ in globo terraqueo esse *sphæricum*, quia non est *sphæricum*. Sed decipiuntur. Neque enim fluit ex falso verum; sed cum aliquem deducunt ad absurdum, ita vt contradictorium esse debeat verum; animum inducunt, ex falso sequi verum. Quæ manifesta illusio, mirum est, quomodo corripuerit Mathematicos alioquin lynceos. Ipse *Wallisus* hac parte sodales suos reprehendit propter ridiculum, cui se mancipauere, errorem. In allato exemplo autem tantum abest, vt ex falso aliquid sequatur; potius causa certissima, seu *medius terminus* verissimus suppetit, quare partes liquidæ secedentes ad extrema corpus sphæricum conficiant:

ant: quod Wallisius luculenter demonstrat.

CAP. VI. SECT. III.
DE
SYLLOGISMIS ANOMALIS
SEV IMPERFECTIS.

§. I.

Aristoteles imperfectum, seu a regula alienum appellavit, quod ab inuenta syllogismorum forma recedit: utpote quæ *trium propositionum* lineis circumscribitur.

§. II.

Itaque ubi aut *pauciores* propositiones, aut *plures* animaduertis, syllogismum imperfectum, seu irregularem te videre memineris.

§. III.

In priori classe *ἐνδύμημος* est, quod fragmentum syllogismi dixeris, cuius altera propositio, vel breuitatis causa, cum res est euidens, vel ornatus gratia, ne flumen orationis impediatur, vel

vel ob fugam, quum dubia videtur & infirma, omittitur, aut mente retinetur. e. g. Cogito, ergo sum.

§. IV.

Sed aliquando tamen non tam propositio mente retinetur, quam aliunde veritas cognoscitur. e. g. *Christus resurrexit*, ergo & *nos resurgemus*.

§. V.

Ad alteram classem prosyllogismus, epicherema, dilemma, inductio, sorites referuntur.

§. VI.

PROSYLLOGISMVS non nisi duplex syllogismus est, & quinque partibus constat, omissa minore, dum ex conclusionis *predicato* noua ducitur veritas, quæ applicari facillime potest *subiecto*, cui *predicatum* congruit clare.

§. VII.

EPICHEREMA vero non nisi prosyllogismus latens videtur. Statim enim probationes adduntur præmissis, ex quibus facile efficitur nouus syllogismus.
Ita

Ita sæpe Cicero cum oratoribus argumentatur.

§. VIII.

DILEMMA interrogatio gemina est, vel latens, vel aperta. Aristoteles *δίσομον λογισμόν, κεράτινον λόγον*, rationem bifurcatam, & bicornem appellavit, qua sic confirmamus nostra, aut impugnamus aliena, ut quamcunque partem interrogationis eligat aduersarius, vincatur. Pertinet huc insigne exemplum *Protagoræ* atque *Evathli* apud *Gellium lib. V. N. A. c. 10. 11.* item *Bianis & Carneadis*; quæ sunt notissima. Et recte vero dilemma distinguitur a veterum CROCODILITE, cuius Exemplum refert fabula *Ægyptiaca*, estque sophisticum potius argumenti genus, quam verum dilemma.

§. IX.

Quod vero geminum, seu compositum est, in suas partes, quando occurrit obscuritas, merito resolvitur.

§. X.

Ergo, cum dilemma ex disunctivis, hypotheticis & categoricis sæpe argu-



argumentationibus constet, vnaquæque seorsum est spectanda, ne mole earum obruti a ianua aberremus. Atque hinc est, quod monent, perfecte 1) enumerandas esse partes, 2) harum veritatem ac consequentiam probandam, simulatque 3) cauendum, ne cum irrifione totum dilemma in interrogantem retorqueatur. Hæ regulæ vero in tribus istis argumentationibus alioquin sigillatim commendantur.

§. XI.

Quocirca insignis ingenii amplitudo requiritur, vbi quis cum fructu & sine vitio hac argumentandi forma uti velit.

§. XII.

INDUCTIO est probatio e pluribus exemplis.

§. XIII.

EXEMPLA vero in rebus ad experientiam pertinentibus vtilia sunt & adnotantur.

§. XIV.

Ergo etiam inductio eodem pertinebit.

§. XV.



§. XV.

Constans autem experientia adser-
ta nostra admodum facit verisimilia.

§. XVI.

Vnde in physicis, politicis, criti-
cis, frequens inductionis vsus depre-
henditur.

§. XVII.

Nec dubitandum, quin omnis no-
stra cognitio certo sensu ab inductione
primordia duxerit perque propositiones
quasdam adminiculantes sit perfectior &
vniuersalis reddita: vti recte *Leibnitius*
in *præfat.* ad *Antib. Nizolii* conclu-
dit.

§. XVIII.

Ergo videndum, vt, quod obser-
uamus, verum sit, nihilque occurrat
in contrarium, quod experientiæ tum
nostræ, tum alienæ repugnet.

§. XIX.

SORITES, latine *coacervator*, plu-
res propositiones catenat, donec tan-
dem prioris subiectum cum posterioris
prædicato componatur: qua argumen-
tandi



tandi specie Mathematici vtuntur sæpe.

§. XX.

Multi eum Syllogismum Stoicum appellarunt, quod esset *Eubolidis* Stoici inuentum. Sed falsi sunt. Stoicorum *Sorites* a vulgari, de quo in logicis tractamus, prorsus distinguitur. Illi enim quæstionem insolubilem haud raro *soritem* dixere, sicut & *Iurisconsulti* Romani.

§. XXI.

Nostri *fundamentum* est, prædicatum prædicati contineri etiam in subiecto: quod his exemplis expriment:

<i>Numerus senarius</i>		<i>A. continet B.</i>
<i>us continet VI. unitates.</i>		
<i>VI. unitates continent bis tria,</i>		<i>B. continet C.</i>
<i>Bis tria continent</i>		<i>C. continet D.</i>
<i>ter duo,</i>		
<i>Ter duo & bis tria</i>		<i>D. continet E.</i>
<i>faciunt numerum</i>		
<i>parem</i>		<i>Igitur</i>

Ergo

<i>Ergo numerus senarius facit numerum parem, quia continet omne, quod est in primo prædicato, seu unitatibus sex.</i>	<i>A. continet E. quia comprehendit omne quod continet B.</i>
--	---

§. XII.

Ergo videndum, ne plus inferatur, quam est in præcedenti prædicato. Etiam omnem ambiguitatem tolli ac euitari prima in propositione falsum iubent cum maxime. Sic cum *Epicurus* argumentaretur:

Quicumque agit mouetur:

Quicumque mouetur mutatur:

Quicumque mutatur, est corruptibilis:

Qui est corruptibilis, non est DEVS.

Ergo

Quicumque agit, non est DEus,

statim in prima propositione lapsus est, dum primum agens credit moueri, ut cetera agentia, quæ non sunt virtute plenissima, sed a primo dependent. Igitur agens *independens* cum *dependente* commiscuit.

§. XIII.

Atque hæc quidem de arte syllogistica



gistica, quæ non tam ob inuentionem veri, aut propagationem eiusdem primario, quam ob disputationes ambitiosas, ac sophisticum litigandi morem stabilendum *maximam partem* est exculta, sapientiæ studiosis sufficiant, ne per calumniam iisdem artificii tam celebris ignorantia obiiciatur.

§. XIV.

Nos interea viam planiorem ac methodum magis sinceram de arte conuincendi, ac confutandi dissentientes statim subiiciemus.

CAP. VII.

DE

VERA METHODO CON-
VINCENDI AC CONFUTANDI
DISSENTIENTES.

§. I.

ET quem vero conuincere volumus, eum in nostram pertrahere sententiam laboramus, quæ vera est.

§. II.

§. II.

Hæc autem ad nos peruenit metho-
do vel synthetica, vel analytica, quas
supra descripsimus.

§. III.

Igitur eadem ratione ducendi sunt
alii, vt ad silentium non tantum, quod
sæpe in publicis disputationibus obser-
uatur, redigantur; sed etiam veritatis
lucem ipsimet agnoscant.

§. IV.

Ergo nullas regulas suppeditamus
nouas. Qui priores, quas de metho-
do inueniendi adtulimus, probe intel-
ligit, is etiam, quia intelligit, ac vo-
luntatem sinceram ad alios informan-
dos secum affert, pro aptissimo Doctore
merito habetur.

§. V.

In discente vero necesse est, vt is
quandam *εὐθυμίαν* & desiderium perci-
piendi verum ostendat.

§. VI.

Stupido enim ingenio perperam ali-
quid occines.

O 2

§. VII.



§. VII.

Homini autem prauo & affectibus obruto propterea instillari nihil sani poterit, quia animi perturbationes cum ad insaniam, saltem breuem, redegerunt.

§. VIII.

Hunc, caue, studeas conuincere, tum, ne operam perdas, tum, ne in iurgium inane, & ambitiosum incidas.

§. IX.

Ingenii stupor facile se prodit: fucata animi intentio ex signis variis colligitur.

§. X.

Qui in familiari plurium usu, seu conuertatione, ferram disputationis ducere conantur, veritatem non quærunt, sed gloriolam vanam.

§. XI.

Qui in auctoritate virorum fama celebrium defixi hærent, non tam nouas detegere veritates adlaborant, quam opiniones confirmare præsumtas.

§. XII.

§. XII.

Qui voluptatibus dediti deprehenduntur, nil solidum crepant, sed leuia confectantur, sed puerilibus consentanea crepundiis.

§. XIII.

Ergo ad virtutem & honestatem pronos elige, quos conuincas.

§. XIV.

Hos subducere rationes doce, quas tute subduxisti; doce scriptis, instrue voce; sed hac magis, quam illis.

§. XV.

Si vident veritatem, vident etiam falsum.

§. XVI.

Sed instrue tamen vultu ad lætiti-
am composito, ne Iuuenam animos ca-
perata fronte verbisque eiulantibus ab
ingenuis disciplinis absterreas.

Explicetur locus *Seneca ep, 108.* quem ali-
as homines morosi ac tristes lætantibus
abiiciunt.

§. XVII.

Secus facientes Pædantæ sunt, ac
O 3 meri-

merito ab hominibus pragmaticis ridentur.

§. XVIII.

Reliquis vero, qui te non audiunt, opiniones, quas basiant, relinque. Neque enim omnes ad veritatem ac sapientiam peruenient; nec peruenire possunt.

§. XIX.

Si te conuiciis allatrent, sapienter file.

§. XX.

Si vero nocere tibi, si factiones excitare conentur, si auctoritate sua opprimere verum, ac veritatis amantes laborent, tum vero surge & quam ridiculi eorum sint errores, ostende, ne amplius nocere apti sint: ridiculos enim nemo sectatur.

§. XXI.

Hic Satyræ verus vsus est; contra quam mugiunt stulti, itemque improbi, ac genuinæ logicæ expertes.

§. XXII.

Neque enim homines faceti, vt ineptit non nemo, ad satyras scribendas apti

apti sunt; sed qui artem demonstrandi callent, & falsum a vero, hoc est, ridiculum & repugnans ab eo, quod cum natura rei conuenit, dignoscere sciunt.

Laudetur *Nicolaus Boileau*, qui satyræ genuinum usum & scriptis & exemplo suo ostendit: sicuti *Vir clarissimus de Masoniis* obseruauit quoque.

§. XXIII.

Interea a cathedrariis disceptationibus, quoad fieri potest, abstine.

§. XXIV.

Etsi enim imaginariæ tantum, non autem cruentæ pugnae sunt; tamen ob id ipsum, quia imaginariæ sunt atque vanæ, iisdem parce te immisce.

§. XXV.

Est namque certum, RESPONDENTEM, seu PRÆSIDEM, qui cum illo eadem tibi inflat, discedere debere victorem.

Laudetur epistola *Payssi*, qua disputantium ineptam consuetudinem uiuide depinxit.

§. XXVI.

Vnde is omnem lapidem mouet, ne sine caussa victoriam reportasse videatur.

§. XXVII.

Hinc formam aggreditur syllogismi in speciem sibi obiecti, hinc materiam excutit, limitat, distinguit, negat, confusa in ordinem redigit, infirma roborat, roborata in publico confesso conficit & delet, vt tanto maior eiusdem appareat virtus. Aliquod ex his requisitis si negligat, suo officio minus exacte videtur fungi. Vnde etiam opponentem, quia pro hoste & artis bellicæ perito habetur, nunquam docet, nec eius interrogationibus, quia insidias timet, respondet.

§. XXVIII.

OPPONENS autem, ne aerem verberare videatur, quamuis reuera verberet, statu controuersiae formato & hoste ante oculos sibi constituto, gladium vibrare argumentando incipit, argumentum respondentis sententiae contrarium firmat, ad responsionem, ne vno ictu cadere videatur, excipit, & tandem, ne nimium victori molestus sit, ma-

mature receptui canit, ab omni absti-
nens *sortite*, ne palmam amittat opinio-
sus respondens, aut præses, & confu-
sior abeat, quam ipse opponens, quip-
pe qui gladium e vagina eduxit, non,
vt vinceret, sed spectaretur, & com-
mentitiõ aduersario de triumpho publi-
te gratularetur.

§. XXIX.

Quæ propterea recensemus, vt,
quam longe vulgaris disputandi metho-
dus a via sapientiæ recedat, animadver-
tatur.

CAP. VIII.

DE

DIALOGO.

§. I.

LAudant multi DIALOGOS hosque syl-
logismis præferunt; sed, quare
id faciant, fortasse nesciunt.

§. II.

Si quid coniiicio, putarem, hanc me-
thodum non esse commendandam pro-
pterea, quia illa vsus est Socrates, Chri-
stus

O s

stus



stus & Apostoli, sed quia naturæ est convenientissima, idemque, quod methodus analytica, & synthetica præstat.

§. III.

Vt enim a simplicibus illæ ad composita, a notioribus ad ignotiora gradatim procedunt; ita dialogus huic sese rationi luculenter accommodat.

§. IV.

Parum autem interest, definitiones, diuisiones, axiomata, consecutaria seorsum exponas, an interrogationibus includas. Sat est, perspicue ordinari omnia.

§. V.

Vnde *prima* lex est, vnum quære, alterum debere respondere. Quod si enim promiscue garrirent, confusio forte non exigua cooritura foret.

§. VI.

Altera plurium interrogationum fallaciam abscindi iubet, quoniam & hæc rem magis inuoluit, quam euoluit.

§. VII.



§. VII.

Tertia quærenti iniungit, vt respondentem eo vsque vrgeat, donec repugnantia loquatur; huic vero, vt taceat, quando in has angustias se videt redactum. Tum enim perspicuum est, respondentem a veritate abluere, quando se ipsum confundit, hoc est, sibi contradicit; ac quærentem proxime a veritate abesse, quoties is alterum eo propellit, vbi nulla elabendi occasio est.

§. VIII.

In hac arte veteres *Socratem* extollunt, *Platonem* itidem, ac *Xenophontem*, *Lucianum*: recentiores *Erasmum*: nonnulli *Fontanellum*: alii alios. *Ioannes Clericus* vero e theologia exemplum dedit: *Crofa* e physica: nos facile e disciplinis ceteris vnum alterumque effingere apti essemus, si actum agere placeret.

Ceterum *Platonis* Dialogi a *Socraticis* in eo abeunt, quod affectatam eloquentiam ostendant; ideoque illis *Xenophonte* præferuntur. Dissertatur de *Caroli Sigonii* libello, quem de *dialogo* præscripsit. Quid in *Ciceronis* dialogis ineptum sit, indicetur.

§. IX.

§. IX.

At obsoleuit interea, quam tot verbis commendauimus, methodus. Plerique enim vel oratorum more, vel syllogismis differere coeperunt. In illo ecclesiæ patres quamplurimos præeuntes habuere, in hoc Philosophos ac Theologos tandem quoscunque.

§. X.

Vnde factum est, vt dialogi rarus vsus esset, isque in suspicionem adduceretur, quasi plurium interrogationum fallaciis fenestram aperiret.

§. XI.

Quod, quanquam quadantenus verum est, non habet tamen sat rationis. Nam ars syllogistica multo pluribus subiecta est technis, iisque acutioribus: technas autem cauemus, quod bonum est retinemus.

§. XII.

Quibus ego tertiam causam, quæ est rei difficultas, addiderim. Neque enim ad dialogos conficiendos sat est, interrogationum ac responsionum seriem coaceruare, quod faciunt hodierni quæ

quæsitores ac quæstionum conditores, quorum discipuli acutius semper respondent, quam illi rogant: fas est potius, ut is, qui apte quærere studet, artem demonstrandi calleat exacte: hanc vero quot, & qui sciunt?

§. XIII.

Ergo etiam in cathedrariis disceptationibus dialogus in usum nondum est introductus, tum, quia disputantes veritatem pro fine non habent, tum etiam, quia paucissimi huius methodi sunt periti.

§. XIV.

Sed iuris studiosorum tamen interesset, ut eam rite imbiberent, ne aliquando ineptos quæsitores agant. Imbiberere autem non possunt, nisi ad methodi syntheticæ atque amalyticæ regulas mentem aduertant.

CAP. IX.

DE

METHODO LEGENDI ALI-
ORVM SCRIPTA EAQVE IN-
TERPETANDI.

§. I.

§. I.

Qui alios scriptis docere, & confutare satagunt, etiam aliorum libros legunt; nec omnia omnium volumina contemnunt; nisi etiam velint, ut contemnantur sui.

§. II.

Ergo minimum aliquos libellos peruoluunt: quamuis innumeros nec affertent, nec utilitatibus suis accommodos existiment.

Examinetur *Hobbesii* dictum de multorum librorum lectione. Calumniam in *Cartesium* sparsam confutauit *Bailleur*.

§. III.

Libri exempla continent, vel experimenta, vel certa dogmata eaque utilia.

§. IV.

Priores & medii e regulis, quas *Libri II. Cap. III. Sect. III.* de verisimilitudine adtulimus, diiudicantur.

§. V.

Posteriores examinantur secundum
nor-

normam, qua veritates inueniri supra Lib. III. Cap. II. & III. ostendimus.

§. VI.

Quo sensu liber bonus est, quando omnia ordine naturali proponuntur, ambigua rite definiuntur, definita clare probantur, ἀλλότρια remouentur.

Hinc recte *Bailletus* iudicia de eruditione librorum vulgaria spreuit, & commentitias bonorum malorumque voluminum notas magna libertate excussit.

§. VII.

Libri autem inepti nomen iis adhaeret, vbi aut omnia, aut vnum ex requisitis necessariis deficit.

Commendantur, quæ in hanc rem *Ioannes Clericus* in Parrhasianis attulit.

§. VIII.

Sed cum tamen docti, quanquam diligentissimi, ob vocabulorum in singulis linguis inopiam, suspensa sæpe, ambigua & obscura verba deuitare nequæant; idcirco regulæ *interpretandi*, quæ in-



ingeniosas coniecturas suggerant, quaeruntur.

§. IX.

Et illæ vero partim e Logica hauriuntur, partim e Grammatica.

§. X.

Hæc namque nominum, verborum, & particularum notitiam specialem supeditat; illa mentis multiplices, quas induimus, formas considerare docet, quando vel absolute enunciamus certas voces, vel eas significantibus vocibus comparate connectimus.

§. XI.

Postremum in capitibus de ideis, ac propositionibus perspicue ostendimus.

§. XII.

In iis vero fundamentum solidum INTERPRETATIONIS logicæ latet, quam *D. Titius* ex arte cogitandi eliminandam sine causa censet.

§. XIII.

Neque enim propterea, ut ille ait, ad hanc disciplinam pertinere dicitur, quia interpretando ratiocinamur; sed quia

quia auctores diuersa ratione cogitant, & vna cum verbis, nominibus ac particulis certa animi decreta coniungunt. Hinc regulas generales excogitamus, vndique applicandas, per quas detegatur, quid cogitauerint vel loquentes, vel scribentes.

§. XIV.

Idque coniectando adsequimur, si conditionem auctoris, itemque antecedentia atque consequentia cum cura circumspiciamus.

§. XV.

Pluribus regulis vix indigemus. Idiomatis enim curatam notitiam ex variis obseruationibus profluentem iam ponimus. Vnde *Placcius*, *Feldenus* alique innumeris, quas efformarunt, regulis ignorantiam interpretandi potius, quam scientiam produunt.

§. XVI.

Circa conditionem auctoris vero considerari fas est 1) *affellum*, 2) *sectiam*, 3) *munus*, 4) *aetatem*, 5) *occasionem dicti scriptique*, aut 6) *scopum loquentis*, cetera.

Illustrauit hanc rem variis exemplis illustris *Thomasius in praxi logices.*

P

§. XVII.



§. XVII.

Antecedentium vero & consequentium connexio ambiguas voces illustrat, mendosam scripturam detegit, vere pugnantia indicat, apparenter talia conciliat, incerta determinat. Neque enim verisimile fit, homines sanæ mentis non intelligibilia, absurda, repugnantia, superuacua in medium vel poruisse, vel voluisse adferre.

§. XVIII.

Quibus obseruatis ceteræ per se intelliguntur conclusiones; multæque auctorum regulæ in commentitiis numerabuntur.

§. XIX.

Quis enim non videt, interpretanda tantum esse (1) obscura, quæ explicari vlla ratione queunt: *pure insolubilia* negligi. Peccant hic Theologi, Icti, Philosophi.

§. XX.

Non esse (2) mordicus certandum ob interpretationem, quam aliqui asserunt, diuersam, multo minus hætecos notam dissentientibus inurendam, quia ars interpretandi coniecturis nititur.

tur. Illiduunt hic iterum eruditorum permulti.

§. XXI.

(3) Interpretationis *extensivæ*, *restrictivæ* ac *declarativæ* voces impune ignorari, quoniam binæ, quas commendavimus, regulæ id, quidquid est arcani, iam continent; nec illæ veræ divisionis elogium merentur, sed vnius tantum interpretationis diversæ notationes sunt.

§. XXII.

Hac vero distinctione evanescente, multo magis evanescent (4) innumeri, qui inde quadantenus dependent, canones, quos sacerdotes ac iuris auctores, præsumtis opinionibus laborantes, temere inuexerunt tanquam veros, vti sunt rationi aliquando profus contrarii eoque falsissimi.

Notentur *Mascardus*, *Mantica*, *Glassius* ac *Logicarum sacrarum* scriptores: simul commendentur, quæ in hanc rem *D. Thomastus* collegit in *praxi logicæ*.

CAP. X.

DE

METHODO SOLVENDI
SOPHISMATA.

§. I.

Non opus est, vt de sophismati-
bus agatur seorsum: nec etiam
fieri potest, vt de omnium ab-
errationum generibus aliquid dicatur,
quia sunt infinitæ.

§. II.

Fallacias *frma* merito præteri-
mus, easque otiosis ingeniis relinqui-
mus: sicut & *Aristotelis* consilium parui
pendimus, qui eas in *dicione* & *extra*
dicionem offendi dicitauit. Quomodo
enim vniuersa solvi sophismata vno ha-
litu possint, supra diximus.

Ingeniose Stagiritæ naenias detexit D. *Ti-
tius*.

§. III.

In ipsa materia vero nemo facile se
ipsum, nemo alios decipiet, nemo iti-
dem

dem ab aliis decipietur, si, quas in inquirenda veritate laudauimus cautiones, curate obseruet.

§. IV.

Nam qui (1) quod est in quaestione follicite considerat, *ignorantiam e-lenchi* deuitabit, controuersiae statum rite stabiliendo: *insidias plurium interrogationum* effugiet, *fallaciam accidentis* declinabit, *enumerationem imperfectam* protinus animaduertet. Neque enim prius pronuntiabit sapiens generatim, & de vniuersis, donec animaduertat, quam late pateat subiecti ac praedicati ambitus.

§. V.

Qui (2) rite ac euidenter, quod est in quaestione, probat, a fallacia *non causae vt causae*, *principii petitione* & *consequentis* sophismate tutus erit.

§. VI.

Qui (3) terminos omnes ac nomina obscura clarioribus vocibus definiat, in *ambiboliae* ac *diuisionis* & *compositionis* fraudem nunquam incidet, quae saepe in tota enunciationis latet textura.

Non pugnabimus interea, si quis hanc regulam ad primam posse redigi contenderit: nos claritatis maioris causa ternas fecimus.

§. VII.

His mediis ad confundendos sophistas vsus est *Socrates*; iis nos quoque vtentes vulgares hanc in rem libellos, hoc est sophisticarum syluulas aliorumque scriptorculorum ineptas paginas flocci facimus.

CAP. XI.

HISTORIA LOGICAE VULGARIS IN PARTE III. ITEMQUE VLTIMA.

§. I.

CVM syllogismus Aristoteli imprimis curæ cordique fuerit, fecerunt eius cultores, vt, quæcunque in organo, seu logica vulgari pertractantur, inseruient, quam descripsimus, argumentationi & structuræ syllogisticae, quam quidem non inuenit Magister,

gister, sed nouis quibusdam inuentis exornare fategit.

§. II.

Ergo & categorias, & enunciationes eum in finem præmiserunt, quoniam ex his atque illis, vt iam animaduertimus, constare syllogismum credere. Inde factum, vt genuini Aristotelis interpretes ipsam logicam artem faciendi syllogismum definirent.

§. III.

Syllogismus vero bonus vel didascalicus, seu demonstrativus est, vel dialecticus.

§. IV.

In eo partim *forma* consideratur, partim *materia*.

§. V.

De forma analytica priora, de materia posteriora præcipiunt.

§. VI.

Demonstrare Philosopho *εισαγωγή* sonat, id est retexere. Nam qui ab effectu incipit, qui est posterior, & ascendit ad causam, seu principium,



quod est prius, is sane, quod iam coaluit, retexit adeoque posterius resolueret videtur in prius.

§. VII.

Igitur in posterioribus analyticorum non pauci occurrunt bona. Saltem *Erhardus Weigelius Aristotelem ex Euclide*, & hunc iterum ex *Aristotele* exposuit. Sed inveniuntur etiam in iis multa superflua, & obscura, quæ aliunde magis addiscas perspicue; estque *Stagiritæ* *πρᾶτον ψεῦδος*, demonstracionem nihil aliud esse, quam syllogismum.

§. VIII.

Libri topici e contrario artem ex probabilibus differendi ostendunt, ut analytici ex necessariis.

§. IX.

Qui ex probabilibus differit, in utramque partem disputat. In utramque partem magna facilitate disputans facundus habetur. Itaque dialecticam Rhetorices *ἀδελφὴν καὶ δίδυμον* appellant.

§. X.

§. X.

Vt vero demonstrationi syllogismus apateticus; ita topico opponitur sopheristicus. Potest namque demonstraturus aberrare a via, & dialecticus autem vel ex proaeresi tendere insidias, vel in eas incidere de improviso.

§. XI.

Vnde vsu inualuit, vt de sopheristicis ageretur postremo: quamuis non prorsus inter se! conspirent *Peripatetici*. Nonnulli etenim elenchos sopheristicos statim Topicæ subiecere.

§. XII.

Et hos autem, aiunt, Aristotelem compilasse ex *Euthydemo Platonis*, aut potius in ordinem redigisse.

P 5

§ XIII.



§. XIII.


Crescere enim fidem putavit, quando non solum veritatem cognoscimus, sed etiam paralogismorum causas.

TANTVM EST



CON.





CONSPECTVS
VIÆ AD VERITATEM
PHILOSOPHIÆ RATIO-
NALIS, SEV LO-
GICÆ.

LIB. I.

Cap. I. De intellectu & lo-
gica speciatim confide-
rata.

II. De cognitione & id-
eis, quæ sunt illius fun-
damentum.

II. Sect. I. De ideis sub-
stantiæ & modis.

II. Sect. II. De relationi-
bus.

II. sect.

II. Sect. III. De ideis a di-
uerſa cogitandi ratione
ortis.

III. De ignorantia eius-
que cauſſis.

IV. De nominibus.

V. Historia Logicæ vul-
garis ac ſpeciatiim par-
tis primæ.

LIB. II.

Cap. I. De Judiciis.

II. De proſitionum ve-
ritate & falſitate.

III. Sect.

III. Sect. I. De veritatibus
primis seu principiis.

III. Sect. II. De præsumtis
opinionibus, quæ vul-
go præiudicia appellan-
tur.

III. Sect. III. De verosi-
mili & falsosimili.

IV. De Propositionibus
vniuersalibus & parti-
cularibus.

V. De propositionibus
aperte & latenter com-
positis.

VI. De

-
- VI. De divisione.
 - VII. De definitione.
 - VIII. De verbis ac particulis.
 - IX. Historia Lib. II. Logicae vulgaris.

LIB. III.

- Cap. I. De methodo eiusque diuisionibus.
- II. De methodo analytica in specie.
- III. De methodo synthetica in specie, quam demonstrationem vocant nonnulli.
- IV. De



IV. De pseudo-methodis.

V. De syllogismis in genere eorumque usu.

VI. Sect. I. De syllogismis in specie, & imprimis de simplicibus regularibus

VI. Sect. II. De syllogismis compositis regularibus

VI. Sect. III. De syllogismis anomalis, seu imperfectis.

VII. De vera methodo conuincendi ac confutandi dissentientes.

VIII. De

VIII. De Dialogo.

IX. De methodo legendi aliorum scripta.

X. De Methodo solvendi sophismata.

XI. Historia Logicæ vulgaris partis III. itemque ultimæ.



D. NICOLAI HIERONYMI
GVNDLINGII P. P.
ALLOCVTIO
AD
INIMICOS.

D. NICOLAUS HIERONYMI
EPISCOPUS
ALPHOCATIO
INIMICOS





S Aluete Viri inter irra-
tionales animorum impetus
& quædam gratuita, vt vul-
go vocantur, odia feruentif-
simi. Saltem ego nec huic incendio
causam dedi, nec bello iniustissimo ia-
nuam patefeci, nec auersionem odium-
que, quod spurcæ quædam paginæ osten-
dunt vestriæ, mea vnquam culpa pro-
vocaui. Si quid conijcio, inuidia sane
omnem vobis mentis lucem eripit, &
ab alta virtutis cogitatione ad abiectif-
sima commenta traducit. Ea haud du-
bie tot dolos, fraudes & tela in pestem
atque perniciem meam comparauit, vt,
nisi summum Numen vestris me insidiis
subtraxisset, ambigendum non sit, quin
iam stilis, ac bene acutis graphiis con-
fossus enectusque iacerem. Adeo sen-
sus animosque vestros alienæ gloriæ ob-
trectatio lacerat; tam atrox maleuo-
lentia imperus de statu suo rationem de-
iicit, vt neque familiaritate, neque hu-
manitate, neque vlla denique coniunctio-



ne ab illa immanitate atque amentia retrahi queatis. Nihil vobis est tam rectum, euidens, ac sanctum, quod non dente maligno petatis, aut tam perfectum, quod a liuore liberum persistat. Quod si quaesueris vero, quid fecerit GVNDLINGIVS, quid commuerit idem, qua re tantam denique tempestatem turbinemque confluauerit, ex *Apuleio* mox percipies, *plerosque quorum similitudinem desperant, eorum affectare similitatem.* Aliena laus, ac studiosae iuuentutis fauor, diligentia, vigilantia Professoris tam tetrum inuidiae tumorem contraxit. Nunquam enim tanta rabie aestuarent, nisi plane cernerent, se in rerum praeclearissimarum imitatione inferiores esse. Hinc non tam industria excellenti, & acri virtutis studio, quam laudis innocuae immixtione ad aliquem dignitatis gradum adscendere conantur; utque liberius peccent, opportunitate noctis utuntur inque viros pro publico bono sudantes omni impetu feruntur, & quasi furis agitati clamant, liras, liras in medium proiiciunt, infelix mendaciorum lolum undique spargunt, atque suspicienda flagitia in tenebris perpetrant. Sed
ego

ego vero propositi, quod rectum semel
iudicavi, tenax malitiosas pessimorum
hominum interpretationes & venenata,
quæ in me coniciunt, tela nihili facio:
optime gnarus, breuem & imbecillam
esse fraudem aliena dignitate dolenti-
um. Quamuis enim primos impetus
habeat vehementes; interposito tamen
spatio vires omnes amittit. Nota mihi
iam sunt, quæ inter eruditos vigent, o-
dia: non ignoro eorum dimicationes:
patent myſteria: artes iſtorum homi-
num luculenter intelligo. Uſu etenim
edoctus ſcio, plerofque non virtutis ac
veritatis ſtudio, ſed inanis gloria ac lu-
celli cupiditate inductos, aut etiam otii
dulcedine pellectos liberalibus artibus
litteriſque fauere, eoque diſciplinis per
ſe honeſtis apud rerum imperitos non-
nihil labis, vtut per calumniam, adii-
ci. Inde vero fit, vt nunquam in commune
conſulant, aut rei litterariæ ſalutares
fructus vna opera promouere conen-
tur; ſed ſinguli ſeorſum habitantes ſua
ſibi peculiariter expedienda iudicent,
aliorumque labores omni ſubruere ope
ſatagant. Quod, quam fit damnofum
noxiumque, nemo eſt paullo acutior,
qui non euidentibus ſignis argumentis-

que cognoscat. Fac enim Professore muneris sui explere partes, eum ad ingenuarum litterarum studia amplificanda omnes ingenii neruos intendere; dumque id facit, nouas veritates in medium ferre, aut methodum aptiorem quærere, aut dissipata & male connexa placita curiosiore obseruatione in meliorem ordinem redigere, quam infestos, quæso, quam atroces, quam furiosos, quam præcipites cursitare ac ruerere animaduertimus per plures? Quidquid alienæ industriæ laudis adhærere vident, id suæ detractum gloriæ augurantur. Hinc igitur effrenata quasi libidine concitati faces accendunt, saxa congerunt, arma comparant, gladium educunt, bella æstuentes meditantur cursumque ad veram laudem efflorescentium omni impedire contentione laborant. Cui rei, si auaritiæ stimulus accedat, hominesque in omnem auiditatem proni suis aliquid detrahi rationibus cogitent, consensuque multitudinis compendia sibi quædam præcipi præcidi que somniant, mirum sane non est, funestiore excitari tempestatem, in bonorum perniciem conspirari; quoque maior videtur dolor, eo etiam

etiam maiori dementia præstantissimorum virorum famam convelli. Nument illi non sine gemitu, cum ex auditione egrediuntur, adolescentes, stilo consignant capita, subducunt rationes, summam faciunt, mercedulas ex ephemeride quotidie repetunt, a corona se destitui quiritant, tabescunt, rancidaque voce fata sua lamentantur. Itaque residente paullisper, qui inter viscera coortus est, primo tumultu, ad nova consilia animum appellunt, insidias meditantur, atque, inter mille machinas, magnifica mendacia disseminant, sycophantas conducunt, blaterant, strenueque atque impudentissime veritatem contaminant.

Quumque videant, fore aliquando, ut perluceat, si diligenter inspexeris, falsum, turpi aliorum suffragia adulatione compositaque facie virorum auctoritate pollentium ad sensum emendicant, querimonias querimoniis augent, eoque sese pacto victoriam obtenturos sperant. At quia nulla fere spes sine metu exoritur, periculumque est, ne honestæ generosæque animæ fraudem detegant, nefariamque societatem adspersentur; ad



inuiolabiles censent, confugiunt, capi-
 teque in humum inclinato fictisque su-
 spiriis pellicere eos ad misericordiam
 student, vt infulis induti ac verbenis
 instructi in inuisos sibi grauiter debac-
 chentur, rudique plebi lemures & e-
 mentitas species obiicientes inuidorum
 hominum rem cum impetu promouea-
 ant. Quod vt tanto certius succedat,
 non eos sane eligunt, conueniuntque,
 qui veræ probitatis ac doctrinæ gloria
 præfulgent, animique moderatione, æ-
 quitate, iudicio, prudentia, consilio-
 que eminent; sed istos potissimum, qui
 sunt ad perturbandam veritatem per-
 niciosi ac graues, in iram proni & in-
 considerati, vani in vita, & ad vehe-
 mentes in cathedra contentiones ac
omniacaxias, seu vmbrales pugnas ci-
 endas perquam apti. Nolite putare,
 me, quidquid ex sacro suggestu ad po-
 pulum defertur, vmbraile appellare:
 noui permultos, qui veræ virtutis lumi-
 ne collustrantur: memoriæ occurrunt,
 qui ad solida, æterna, & immortalia
 contendunt, ac suos cohortantur, qui-
 que in id omnes cogitationes vigilan-
 tiamque conferunt, vt in tenebris va-
 gantes hominum mentes, inter multa
 pie-

pietatis exempla ad lucem traducant. Potius eos me signare credatis, quibus inuidiæ dolor, ac gloriæ perituræ affectatio vltionis cupiditatem ingerit, quam deinde iræ cælestis velo circumdant, ac virtutis veritatisque simulatione artificiose inuoluunt. Et nemo autem non videt, eius farinae homines, vtut veritatis patroni videri cupiunt, non posse eam defendere, quia non didicerunt, aut illustrare apud alios, quia affectibus occæcati non nouerunt ipsimet. Quidquid ganniunt, in fallacia ac captiosa verba definit: non sunt iis argumentandi differendique instrumenta: non intelligunt, quod est in quæstione: solis illi gestibus terribiles sunt, & commentitia facundia clari, quam tamen rerum periti ac humana duntaxat eloquentia præditi albis sæpe dentibus rident. Quid enim homo tot animi ingeniique perturbationibus corruptus sani proferat rectique? Multa signa sunt, quæ arcana mentis in transfuersum actæ indicent: perplura argumenta, quæ vafrum Proteum detegant & primæ lanuginis ætatem inanitati, secundam iræ propriæque vtilitati additam, ac tertiam denique, inter vulgi-

lacrymas, rectiusque sentientium sibilos, superstitioni aliquando consecrandam perspicue prodant. Quocirca mirari vix subiit, potuisse fieri, ut ærea ferme voce aduersus innoxios intonerent mortalium leuissimi, nulla suauitate, nulla virtutis elegantia, nulla mansuetudine conspicui, nulla veritatis cognitione, sed irrationabili feruore zeloque, ut aiunt, diuino, inter varios mentis abortus, imbuti & armati. Sed hic vero zelus non tam diuinus est, quam ex humanis affectibus efficta conflataque *Φιλαντία* & odium in innocuos enorme. Cælesti opus est munere, si quis pro Dei gloria excubias agere, pro veritate verba fundere, proque virtute sapienter differere cupiât. Quis autem diuinum credat virum, qui non examinata controversia, non intellecta re tota in publicum prorumpat, & ad ineptissimi graculi stridulas garrulasque voces excitare fragorem, sicque rem temerare sanctam ac cœtui sacro fictis illudere mendaciis inciuiliter audeat? Ingenuè fateor, publiceque, ut omnes comperiant, scribo, me, nisi aliunde de christianæ doctrinæ veritate, quam omni animi demissione suspicio, iam forem
rem



rem certissimus, ab his hominibus doceri nolle, nec, si vellem, posse. Tam enim exigua vitæ sanctæ præludia eiusmodi moribus elucent, vt fatuus sit omnino dicendus, qui pessimo exemplo publico commotus, patriam, propinquos, amicos abneget, & exul, vagus, inops in peregrinis oris oberret, nisi quidem alia viderit documenta disciplinam salutarem comprobantia. Sed tibi, Christe, æternas gratias persolvø, quod alia & longe diuersa ab his signa ostenderis mihi, quæ verum diuini amoris zelum a commentitio & ficto distinguunt: de quo postremo Theologi, natione Galli, longèque doctissimi verba merito recitamus: *Ce zele est l'effet du temperament, qui se mêle a la religion. C'est vne humeur violente, & fougueuse, qui cherche a faire du fracas, & qui agit sous le pretexte des interets de Dieu, vne bile allumee, & quelque fois vne noire melancholie fait toute la ferueur de ce deuot. Son impatience & son orgueil, qui veut dominer, & qui ne peut souffrir de contradiction ranime son amour pour la verité. Comme cette illusion est la plus specieuse, on ne l'attaque pas sans danger.*
C'est

C'est vne passion sanctifiée par les apparences de la religion. Le peuple en approuve jusqu' aux excès, & la multitude applaudit a ses emportemens. Il est bien difficile de se desabuser sur une passion, qui reçoit les louanges, qui appartiennent a la vertu. La conscience s'endort à ce bruit agreable, & bien loin de moderer cette chaleur intemperée, elle se fait vn honneur de ses eclats indiscrets. Mais si l' on s' examineroit de sang froid, sur ce zele si inquiet & si farouche, l' on avoüeroit que l' ardeur & le feu du temperament, ou vne humeur turbulente & chagrine en sont le principe originair. Il est si surprenant de voir les hommes se remuer si violemment pour le salut d' autrui, que ce zele brulant, & consumant est justement suspect. Et hæc quidem aliaque præclare observata in caussa sunt, quare infensissimorum hominum colluuiem, qui talibus adiutoribus ad palliandam malitiam suam vtuntur, floccipendam, simulatque susurros iniquos iuste despiciam, quos in aures animosque Treuultiensium Iesuitarum insinuarunt, vt & hi turpiter sese darent, & cæco furore abrepti fumum legentibus venderent, mendaciumque multis iniuriis stipa-

stipatum a. clb lccc X. mense Iunio p.
 1104. nouellis litterariis imprudenter
 insererent. Quid enim hoc est, si non
 imprudentia, calumnia, iniuria est? L'
Allemagne, inquit, n' a pas été inac-
 cessible a vne certaine Critique audaci-
 euse toujours prête a fauoriser l'incredu-
 lité, malgre l'heureux penchant pour la
 Religion, qu' vn esprit naturellement so-
 lide donne à ses p'uples. Trois ou qua-
 tre Ecriuains impies la scandalizent de-
 puis quelque tems par les coniectures,
 qu' ils osent debiter. Ces sont Messieurs
Thomasius, Gundlingius, van der Hard
&c. Ego vero, etsi litem doctissimo-
 rum virorum, quos mihi coniunxerunt,
 perorare necesse non habeo, qui ipsi se
 defendere, & ab intolerabili obrecta-
 tione liberos præstare facile poterunt;
 tamen, quod meæ detrahere famæ sunt
 conati, confidenter nunc quidem vindico,
 eosque aperte & publice hortor, vt
 sollicitè imposterum caueant, ne ipsis
 --- contemptus homuncio, qui nec
 prima elementa sonis poterat distinguere
 certis,
 & quem nec stabulo purgando, olide-
 ue popine
 præficeres,

am-

amplius imponat, & inter mentis turbulentissimæ tumultus corrososque, quos quotidie emendicat, panes, impune apud exteros, & eos præcipue mentiantur, qui se ad societatem Iesu pertinere iactitant, & quid verum, quid falsum, quid verisimile, quid non, sagaci se olfacturos naso gloriantur. Saltem non cohærent cum hisce, quæ iidem Patres aliquot abhinc annis (*) de eodem **GVNDLINGIO** litteris memoriæque prodiderunt, quando eam, quam confecit, *de libro sapientiæ* observationem invidendis elogiis cumularunt, auctoremque & iudicio pollere, & eruditione ornari, & probitate distingui ac veritatis nonnulla luce collustrari sine circuitione scripserunt. Quod iudicium an fuerit rectum, viderint isti, qui nunc nulla ratione nulloque argumento suffulti linguam calamumque immutant, & caprimulgi, agafonis, vagique scurræ relatione decepti orbi aliquid persuadere sunt ausi, quod melius certiusque edocta deridet Germania, nec, nisi impudentissimus nebulo, nycticoraces-

(*) a. 1705. mens. April. p. 241. seq. edit. Amstelodamens.



cesque calumniis operam dantes, falso loqui, hominesque scelestissimi vultant, ac nefariæ vocis strepitu temulenter, cum se tenebris opacaque caligine credunt tectos, repetunt, acheronta mouentes, Iesuitasque tristi murmure excitantes, vbi vanilimis linguis flecti posse superos desperant. Id scio, non posse non eos, qui, quæ de Hippocrate Atheo scripsi, & nunc etiam in Philosophia morali naturæque iure typis impressa cum eruditis proxime communicabo, ad indignationem accendi, quando Academia Fridericianæ Professore tot nobilissimos erudientem iuvenes in impiorum atque atheorum classe innoxium collocari animaduerterent. Sed bene est, & quasi pro comperto, eos inprimis atheismi reos deferri, qui scholasticorum aliorumque isto de grege morem reiiciunt, & hominum otiosorum in museis suis sedentium imbecilli ingenii fœtus nec basiant, nec madentium ludimagistrorum ineptas paginas ac male olentia sputa lambunt. Quod, quam sit verum, exempla *Grotii*, *Cartesii*, *Puffendorffii*, *Speneri* aliorumque præclarissimorum virorum fata revincunt, quibus abiectissima ani-

man-

mantia hanc quoque quæstiunculam propo-
nuere:

*Heus agere responde, minimum est, quod
scire laboro,
de Ioue quid sentis?*

Nunc autem, cum ab hominum oculis recesserunt spectata animæ, inuidiæ pustulæ euanuere, ac, liuore extincto, & caligine ab omnium animis dispulsa, vniuersi perspiciunt, id semper agere Satanam, ac genii nociui complices, ne in vitam reuocetur veritas, sed pressa tenebricosis volueminibus fatiscat. Quamobrem illud mihi adfirmandum defendendumque sumam, non leuem oriri coniecturam, eo aliquem vel a vulgi erroribus esse remotiorem, vel virtuti propiorem, quo plures exaudiuntur boatus, quibus suspecta redditur doctrina, ac vita hominis in veritatem inquirentis innocua. Plerumque enim odium secretum atque arcana vtilitas, cui doctorum turba nunquam non fere obnoxia est, sub involucro iniustissimæ accusationis latitat; sed quo detracto re-
rectæ patent insidiæ, ac fraudes & doli & nullo fundamento innixæ calumniæ in auras dilabuntur. De ambitione &
ava-

avaritia, quibus litteratorum mentes
sæpe obruuntur, satis dictum est: re-
stat utilitas, quam voluptatis & otii
dulcedo ignavissimis commendat, eos-
que ad luridas voces & vagas querimo-
nias magno sæpe nisu exstimulat. Nam
qui aliquas opiniones epitomenque, in
qua illæ continentur, familiares sibi
reddiderunt, ad quietem, & veritatis
extrema spatia se peruenisse existimant,
ac iam, post tot exantlatos labores, in
portu se nauigare credunt; iamque pede
libero pulsare terram, iam euacuare
pateras cogitant; quia nihil amplius in-
vestigandum cognoscendumque super-
esse opinantur. Sed fac vero, turbari
hominis securi circulos, conuelli eius-
dem *σύστημα*, nouum placitum, metho-
dum commodiorem in medium afferri,
an æquo id toleratum iri animo credas?
Et non putem. Nam cum ii, qui se-
se otio tradiderunt, recte iam se iudi-
casse ac difficultates omnes superasse
censeant; abesse non potest, quin
perterresiant, si nouus, in quo se
exerceant, aperiat campus, ite-
rumque sint subducendæ rationes, ac
retractanda sententia, instauranda sy-
nopsis, ac renouata industria in verita-
tem

b

tem

tem incumbendum. Idscio, non adeo succensuros eosdem, si semel, aut bis etiam, non sæpius, aliquid immutandum, aut iterato foret expendendum: sed cum redintegratum iri laborem sibi persuadeant, eoque recentes molestias extimescant, & modo hunc, modo illum surrecturos haud temere credant, qui sibi absonam adtribuunt opinionem, qui a rei natura discedere adamatam sententiam & a ratione abluere dicent, quid est, quod iisdem maiorem incutere nauseam fastidiumque possit? Et hoc vero id tandem efficit, ut ignauissimi quique hominibus ambitione & habendi cupidine distentis aggregentur, conclament, gemant, fremant, ganniant, & instar pusionum, ploratus tandem turpissimos edant. Quocirca nunquam mihi peregrinum visum est, irruisse in me numerosum inimicorum gregem perque aliquod temporis spatium in meum iam intertrimentum exitiumque conspirasse. Neque enim ita sum a natura factus, ut, si aiat Rex litterarum, aiam & ego, si sternutet, sternutem ipsemet. Quidquid ratione cognoscitur & intelligitur, propriis videre oculis cupio, alias non
ego

ego putarem, sed alter, non ipse oculos apertos haberem, sed cæcus præcuntes sequerer. Milites, subiecti imperium principis, & imperatoris sequuntur, quia iis obsequii gloria relicta est, parentiumque voluntas in voluntate & arbitrio præcipientium continetur. In scholis vero ratiocinamur; ratiocinatio propriam contemplationem includit; cogitare significat videre; visio & idea conueniunt. Idea autem mea non est alterius idea: quamvis, si conueniamus, idem cernamus, easdem proprietates, nexum eundem animaduertamus. Vno verbo: bis decem sunt viginti, non, quia id caperata fronte adfirmat Magister, sed quia repetitum denarium in vicennali numero meis oculis deprehendo. Porro cui Professoris munus concreditum est, is & docere tenetur & docet: qui docet Auditores quærit. Non autem vnus tantum occurrit, qui doceri cupiat, ac discere aliquid contendat: adfunt plures: Rex etiam ad plures informandos instruendosque me vocauit. Quis vero numerum ad certa redigere capita potest? Etsi enim grex vno in capite conseruatur; non tamen vna ouicula ab-

b a

solui-



soluitur. Itaque vitio mihi verti neutiquam potest, si adaugeri numerum societatemque patiar. Vna fidelia duos saepe parietes dealbamus; vna voce plures ad veritatem perducimus. Vnde iterum vix capio, quid vos ita excruciet, o mei, quid adeo inimica pectora strangulet? Quamlibet enim inducatis animum, me famam, quam acquisiistis, vel acquirere allaboratis, dissipaturum aliquando; non est tamen, quod de interitura gloria tam seruiliter metuatis. Agite, palma in medio posita est, renovate cursum, rapite, si potestis: hic REGIS serenissimi scopus est, hic finis, a quo obtinendo nemo repellitur. Ad docendum autem, fateor, voce opus est, perspicuitate, benignitate, fronte aperta. Quæ si deficient tibi, docere desine. Nec enim iuuat, quod affers: voce exigua loquor, fusca, indiscreta, lurida, rancidaque; sed tamen rem capio, disciplinam meam intelligo, eruditorum me numero excludi non patiar: non equidem tam clare, tam perspicue & exposite animi mei sensa explico, non adeo argute, quod volo, exprimo, sed exprimo interea: difficilia difficulter intelliguntur:

na-

natura mihi grauitatem adiecit: feuerus sum: rugas contraho: non omnia, quæ scio, aduentantibus porrigo: arcana mihi prouide referuo: Princeps non infantibus nos præfecit, sed adoleſcentibus: ipsi admoueant manus: ipsi ingenii nervos intendant, cetera. Non iuuat, repeto, quod non sine iracundia eiacular. An enim cupere potes, vt omnes queribunda vtantur voce, aut balante, aut grunniante, rugiente, rictante, barriente, hinniente, rudente, mugiente, coaxante, quæcunque tandem vox tua sit? an inuerti hominum natura, mutarique iuuenum inclinationes & appetitiones vno halitu possunt? an Princeps eo in loco, vbi doctos sermones ciere debes, præcipiat, vt, quemadmodum tu, vel hirquittalliant omnes, vel sordide loquantur singuli, vel carptim voces resorbeant cuncti, aut deminutas emittant vniuersi? an idem conetur iubere, vt audis auribus melos inconditum tuumque studiosa pubes hauriat? Relinquenda hic cuius sua libertas est: iudicent ii de sonis, quos emittis, quemadmodum iudicant de gustu. Nemo tibi docti nomen inuidet, nemo etiam doctoris, s

b 3

inve-



inuenias, qui similem ament strepitum, & occurrant, quibus tua allubescat lingua, & adsint, quibus non displiceat cantus, non sit ingrata raucitas. Sed hoc tamen in aurem tibi dico, vigilem canora pollere voce, doctorem clara distinctaque debere. Quod si Æsopus, cum paullulum irrauserit, aut, si mauis, irraucuerit, explodatur, fac, cogites, eam esse iuuenum quorundam peruersam consuetudinem, multorumque auditorum morem. Sed suadent vero Theologi, vt, qui docere populum gestit, suas exploret vires, examinet vocem, & si quid in ea mutari possit, grauitur cum Demosthene, aut Timotheo mutet: sin secus, aliorum cogitationes flectat, aliud vitæ genus eligat, aliam prouinciam ambiat. Ceterum ego te loco tuo non depellam: maneat, per me licet, experiaris, eiicias rete, adtrahas pisciculos, in choro eruditorum virorum locum retineas. Doctrina enim in mente residet, hoc scio: eruditio intra præcordia sese continet, hoc teneo: sed attende tamen. Qui te ad condofaciendos adolescentes in scenam producant, non volunt, vt intra viscera concludas, quod didicisti, aut inter men-



mentis secreta reponas, quæ calles. Ego foras prodeò: quod animo completor, perspicue explico. Qui bene & argute loquitur, bene forte & argute cogitat. Magna, crede, requiritur fides, ut credatur, eum qui inficete docet, cogitare apte faceteque, qui confuse alios instituit, eum ratiocinari distincte, ac bene. Id observatur, talem hominem non esse ad informandos adolescentem aptum: utur, quando domi sedet, & intra priuatos parietes, digitos mordendo, contemplationibus suis indulget, & tardior cum illis, quam corbita in tranquillo mari, incedit, aliquid forte & tandem aliquando peritura illinere e hartæ potest. Sed talis naturæ doctores, aut professores tam lenti, tam otiosi, & quos optimo iure *remoras* appellare possis, nec desiderantur ab iis, qui intelligunt, nec quærentur ab illis, qui disciplinarum doctrinæque sunt cupidi. Nulla veritas, quæ ratione intelligi potest, difficilis est: si quid occurrat obscuri, id omne non tam in re ipsa, quam præceptore ac discipulo quærendum est. Hunc vero ad attentionem excites oportet, a notis ad ignotiora deducas, lassum reficias,



ficias, ad sensus, quidquid est subtile, referas, similia inspergas, ne eum obruat somnus, methodum ordinemque naturalem obserues, ne confusior abeat indoctiorque, quam accessit, humanitate, libris subleues, renidente vultu adspicias, dubia eidem eximas. Neque enim studiosi adolescentes, cum se in disciplinam dedunt, ad ergastularium sese conferunt, qui in pistrino laborantes truci vultu adspiciat, aut, veluti Wallensteinius Imperator, discentes tanquam dimachas contueatur, tetricoque vultu perterreat, nihil iisdem, nisi panem aquamque permittat, res suas sibi soli seruet, libris suis, veluti draco, incubet, nec tangi volumina commentariosque membranis nitide inuolutos pictosque concedat. Quod si alia negotiorum moles te obruat, iterum, ne doctoris spartam affectes, rogo. Colas rus licet, ad mercaturam te prouoluas, nemo impedit, arbores feras, in locum emortuarum vitium novas substituas, nemo repugnat: sed si etiam auditores amittas, si rari natent in gurgite vasto, æquis oculis adspicias, si Diogenem in dolio cellaque residentem ridentes relinquunt, patienti animo

mo feras, si alii mercedem doctrinae reportent, ne inuideas, si in suo fodiant & venas tibi praescindant, ne murmures, nec latine teutoniceque, inter mulierum greges, ancillarum circulos, famulorum cohortes, virorumque ineptissimorum confociationes de iniuriis tibi illatis exoptules. Ego interea, quidquid dicas fremasque, quoscunque de me conuentus habeas, maiori alacritate res meas gero, laturus aliquid mercedis praemiique, quod legum statuta permittunt. Sed hoc vero istud aureum pomum Eridos est, quod altercantes magistros confudit, quod Orbilius inimicos in furorem dedit, quodue tantam in me tempestatem excitauit, tonitrua elicuit, fulmina generauit. Quae quidem ideo tam perspicue ac clare enuntio scriboque, ut cognoscat orbis intelligatque posteritas, non alia de causa **GVNDLINGIVM** tot conuiciis peti, tot calumniarum plaustris onerari, tot libellis famosis traduci, quam quod labore, agat, sui que quod est officii faciat. Ex quo satis credo, perspicuum sit, quam sit iis, qui me allatrant, pusillus animus, quam tennes ingenii opes, quam exilis bonae

mentis apparatus, quam curta optimarum rerum supellex. Nam si ipsi quædam virtutis, doctrinæ & gloriæ abundantia iam forent præditi, quamobrem, quæso, mea iactura diuites, mea calamitate locupletes, meo funere immortales vellent effici? Igitur veluti forices suo ipsimet sese indicio produnt, inuidisque oculis indicant, alterum, quem torue adspiciunt, longe esse meliorem, & propterea feliciorem, infamiâ intactum, quia, vt *Liuius* de Scipione Africano iudicabat, inuidia, qua possunt, virgent. Quæ enim maior excogitari malignitas potest, quam rodi me ob libellum in vulgus (*) nondum emissum. ac professoris conuelli famam, antequam eiusdem meditationes in publicum processere, antequam, quid culpetur, resciscat litterarius orbis? Sed inde vero facile est ad concludendum, e nostra civitate hunc turbinem prodiisse, ibi fordidas nubes, quæ fere in aquam, aut ventum resoluentur, originem cepisse. Et noui sane homines tetricos adspectu,

liui-

(*) Prodiit enim charta variis referta calumniis contra *viam ad veritatem*, cum binas duntaxat plagulas auditoribus suis distribuisset auctor.

liuidis oculis cognitos, colore subfusco signatos, atra bile laborantes, valetudinis vitio interdum furentes, rusticitate morum infames, & ad omne calumniarum genus aptos, reconditos, garulos interdum, malignos stolidosque. Hi ferre non poterant, vt viam, quam meditatus sum, ad veritatem publici iuris facerem; & iuuenes generis nobilitate ac propria virtute florentes per illam ad maiora Musarum negotia traducerem. Quam vero ob rem eiusmodi intolerantia maleuolorum animos occupauerit, quilibet videt, ac nemo non apposite intelligit. Sed inrerea tamen persuadere iidem imperitis laborarunt, me professionis acceptæ limites migrare, qui sollicitè regendi sint, inque ius inuolare aliorum, ac præcipere aliis, quod suum est, me allicere adolescentes, & cibum potumq; magis merentibus præsumere. Quæ conquestiones, quam sint abiectæ, quam ultra opiliones & bubsequas rusticanae, quam ex ignobili ingenio casitantes, quam denique falsæ & mendaces, per se innotescit. Abiectas appello, quia nihil magis amplificandis disciplinis & artibus contrarium est quam intra certos earum professionem



nem cancellos coercere, viris ad eruditionem contendentibus metam constituere, circulo, quem non egrediantur, stantes circumscribere: quasi scilicet hic dominium occurreret, scientiæ in patrimonio forent, conductio rerum honestissimarum obtineret, iurisdictio, vel merum mixtumque imperium vigeret, a quo rapaces alii continere manus deberent. Tædet me facti perquam humilis sordidique: pusillitas ingenii servilis in omnium oculos incurrit: animus malevolentia ieiunus & inanis variis sese signis ostendit: habendi cupido, auri fames indecora, mentis ægritudo, precarium, molle, fractum, debile consilium in conspectu omnium reiectum patet. Ad quod tandem totius conquestionis fallitas accedit. Neque enim extra oleas vagatur GVNDLINGVS, qui philosophiæ iuriumque Professor est, eoque omnes disciplinas perdocet, quæ ad res diuinas humanasque pertinent. Vnde denuo perspicuum redditur, quam sint maligni, qui eum, nescio, quo crimine onerant & soli eloquentiæ affigunt, atque in antiquitatum Romanarum abyssum detrudunt: quasi is, qui antiquitatum thesauros excute-

re



re rerumque origines & progressionem
evoluere obstrictus est, intra Romanæ
civitatis pomeria concludi, & de Ca-
pitolio tantum, de Iove statore, de
campo Martio, de via Appia, de fe-
cialibus ac patre patrato differere de-
beat. Sed intelligitur iterum ex iis,
quos effundunt, sermonibus, quam me-
tuant homines, ne magnus studioso-
rum numerus in auditorium sese meum
infundat, atque adolescentium præstan-
tissimorum societas in meam sese dis-
ciplinam tradat. Quod si ceteri, qui in
Fridericiana agunt, Professores tam ar-
ctis sese finibus continerent, nec extra
orbitam disciplinæ, quam publice do-
ceant, profilirent, nec ingenii sui opes
amplius exponerent; tum forte mihi,
quod ago, suscipioque vitio verti pos-
set. Signanter adiicio, forte. Serenif-
simus enim ac Potentissimus Borussiae
REX peculiariter olim GVNDLINGIO
indulsi, ut totius Philosophiæ, qua pa-
tet, campos intraret, flores inde pro
arbitrio decerperet, eos cum aliis com-
municaret, & idoneos quoscunque ad
veritatem & sapientiam perduceret.
Quod dum fecit, in ius trahi, accusari,
violatæque legis reus peragi vix potest.

Sed

Sed copiosius tamen ostendam, quare prehenderit calamum viamque ad veritatem paucis, sed perspicuis tamen verbis viuifque coloribus delineaverit. Nam posteaquam iuris ac gentium placita, noua sibi prouincia demandata, ea, qua par est, industria nobili auditorum ceteruæ prælegeret, & plerosque rationis vsum viresque ignorare, ignorantisque variarum enunciationum nexum vix capere, multoque minus comprehendere animadverteret, eo tandem animum appulit, vt mentis operationes ac veritatum genealogiam methodique leges ordine poscentibus explicaret, explicatasque attendentibus ingereret, quo feliciores procederent, omniumque scientiarum iter ingressos ad morum philosophiam cum maxime, quæ demonstrationibus non destituitur, curateque perdiscendam sollicitè præpararet. Quod cum propriis meditationibus rectius se perfecturum sperasset, ipse manum operi admouit, axiomata posuit, ex iis conclusiones firmissimas deduxit, has exemplis, & similitudinibus clariores reddidit, atque in breui quasi tabella vniuersas ante oculos posuit. Ex quo facile est ad coniectandum,

dum, quare inter tot Logicarum myriades nouam conscripserit, relictisque veteribus viis & interdum spinosis, planiorem elegerit. Etsi enim & alii non nihil veritatis viderunt, multumque operæ in ea polienda ac confirmanda collocarunt; tamen, quod est imprimendum memoriæ, eo ordine eaque connexionem fortasse proposuit nemo. Quod, quamuis multi, qui me odio prosequuntur, iactantius dictum interpretentur, mihi que *λαπίσματος* vitium obiiciant; non habent tamen sat, credo, rationis. Neque enim me solum ad veritatis culmen euasisse adfirmo, nec aliorum societatem, quod sane elationis speciem præ se ferret, adspernor; sed omnes aliquid de veritate carptim accepisse ingenue fateor. Id vero clauiculis quibusdam vinculisque connectendum, atque in vnum videtur conferendum, ne opinionum quædam discordia exsurgat, id magis perspicue tradendum, ne veritas frontis integumento Vestalis instar virginis occultetur, id denique lambendum poliendumque omni modo fuit, ne vel aliquid adhæreret asperitatis antiquæ, vel leuitatis nouæ, ne itidem omitteretur quidquam, quod scitu necessarium



farium est, aut adiceretur aliquid, quod superfluum, erectisque atque ad solida contententibus ingeniis fastidiosum, inutile, siccum molestumque apparet. Quod an a me præstitum fuerit, iudicent æqui lectores, iique, qui intelligunt ac peritia rerum sunt instructi, cognoscant. Etsi enim a quibusdam forte haud temere videtur monitum, infinitam eiusmodi libellorum copiam in publicum prodire, quemlibet vero auctorum docendi tantum causa sua se scripsisse gloriari, ac neminem interea curate ostendere, quid e veterum voluminibus vtile, quid minus; tamen id a me breuiter solideque fuisse præstitum puto. Neque enim magnis ad id voluminibus, vel verborum multorum circuitu, vel variis allegationibus & confutationibus opus est. Recta ratio eiusque vsus genuinus & Logica non differunt. Eum, si teneas acquirasque, intelligis quoque, quid sit e veterum glossis retinendum, atque e recentiorum auctorum libellis adoptandum, quid reiiciendum vicissim exhibendumque, aut in rerum inutilium classe reponendum: vberior expositio dissertanti Doctori relinquatur. Et hæc metho-

methodus tot præconiis decantata vere eclectica est, qua veritas a nobismet ipsis inuenitur, deinde cum aliorum placitis componitur, ac composita denique seorsum iterum collocatur, & ab aliorum paralogifimis omni studio separatur. Ex quo manifestum fit, posse sæpius fieri, vt eandem veritatem offendant & approbent, qui nunquam de ea sermonem habuerunt vna, aut aliorum libellos legerunt, aut etiam, si legerunt, aliter sentire nequeant. Nota equidem vox est, quæ interdum per subsellia eruditorum quoque virorum vagatur, id Clericum e *Lokio*, hoc *Lockium* e *Cartesio*, *Nicolio*, istud auctores alios e *Clerico* & *Lockio* decerpisse: quid? quod parum abest, quin multi plagii non ferendi incusentur, qui, quod alii vident, vident ipsimet, vel se vidisse publice profitentur. Sed parum sane humani videntur, qui sic rationes subducunt. Nam si vera quædam animaduertit & tradidit *Lockius*, non potuit sane ab eo discedere *Clericus*, nec possunt forte alii, nisi viui, volentes, videntesque in errorem ruere præcipites velint. Quamobrem non inficiatus est illustris *Leibnitius*, se veritates nonnullas e *Kingii* Dublinensis Præfulis libello haustas in loculos suos retulisse:

c

quan-

quamuis deinde ab eo in plurimis iterum discesserit. Non enim eruditus vitio dari potest, si aliorum vtantur luminibus, sique contemplationibus denuo indulgere occipiant, vbi desierunt priores, & vel longius progrediantur postea, vel comptius, ordinatius ab aliis cœpta proponant maiorique luce collustrent, aut hinc inde dispersas veritates solido iudicio in vnum contrahant compingantque. Ita ambigendum non est, in veterum ac recentiorum scriptis latitare omnes ad vnam, vel saltem plerasque veritates morales; nihilque fere in aliis occurrere disciplinis, quod non in Aristotelis, Platonis, Pythagoræ, Epicuri, Stoicorum veterum Iurisconsultorum ac Christianorum denique voluminibus seorsum inueniatur. Sed quis tamen culpabit viros diligentia laude præstantes, atque ingenii gloria iudicii que acumine florentes, si, quod legerunt, in succum & sanguinem conuertant, nouo habitu induant, cultiori veste exornent, neruis ossibusque instruant, inque σύνημα, vel synopsis referant, quæ dissipata & disiecta non ab omnibus cernuntur, ac sine aliorum auxilio æternum forte ignorata manerent: vt taceam, multa ab aliis quidem obseruata, non autem lecta, nec visa
pro-

proprio sæpe Marte ab hoc, ab isto, a viris eruditione & industria pollentibus denuo in lucem protrahi. Quis enim nescit, *Cartesium* in physicis plura edouisse, quæ iam leguntur in Aristotele, Platone, aliorumque Sophorum scriptis? Quis *Harueum*, qui primus in recentioribus sanguinis circulum clare demonstrauit, in plagiariorum turba collocabit, quod, quæ ab Hippocrate obscurius sunt indicata, euoluerit clarius suisque inferuerit codicillis? Quod si nonnulli adeo sint seueri ac duri, qui, his minime perpensis, dicam tamen *Cartesio*, *Harueo*que scribant; ii perpendant velim, quam hoc sibi appariturum foret ridiculum, quam enorme, & inurbanum, si indignis adeo modis tractarentur ipsimet, & furum librariorum cohorti adsociati in omnibus fere eruditorum paginis eadem ratione vellicarentur. Meo iudicio plerique, qui hodie scribunt, *Zeuxi* pictorifimiles apparent, qui oris venustatem, frontis elegantiam, oculorum amabilem adspectum, qui nasi insignem speciem, qui membrorum emendatissimam compositionem hinc atque inde sumtam & detraçtam in vnam pulcerrimæ virginis effigiem contulit, populoque spectandam non sine vniuersorum admiratione exhibuit.

Ego vero, etsi cum Zeuxe me ipsam non compono, aut cum viris præstantissimis comparo, adfirmare tamen ausim, me ab aliis mutuo sumpta in aliam profusus formam transfudisse, addidisse perplura, expoliuisse bene dicta, reseculisse inutilia, vana, spinosa, anilia, inepta, ac fecisse denique, vt vulgaris & noua Logica, cogitationum modi, mentis humanæ actus, & linguarum omnium *γένησις* atque ortus, iidemque genuinæ interpretationis subsidia, adiumenta, & fundamenta legentium quorumcunque oculis concise exponerentur. An in quibusdam errauerim, nondum scio: quamlibet de me non ita sentiam magnifice, vt me errorum quorumcunque scopulos fuisse præteruectum inaniter glorier. Interea publice illud, quod effinxi opusculum, adspiciendum examinandumque trado, trado rerum peritis, permitto etiam imperitis, concedo iudicandi libertatem o-litoribus quoque, cum & hi interdum opportune, non intelligentes ceteroquin & aliud quasi agentes, loquantur: dummodo a calumniis abstineant, a logomachiis sibi caueant, a conuiciis sibi temperent, & more honestis viris, non rusticis & populi faci consueto, omnia expendant peragantque. Neque enim aliquem,

quem, nisi qui omnem mentem eiurauerit, adeo absonum existimo, qui suo sit approbaturus calculo, quæ auctor salebrosus, incomptus, ieiunus, madidus, dicax, & elumbis in medium vomuit. Tam enim aperta & clara est corruptissimi hominis rabies, ut ad eandem obtrectatorum colluuiem pertinere videatur, qui impostoris & impudentis calonis inconditos clamores non animaduertat, non itidem improbet, non etiam condemnet. Sed nolo tamen equuleos ei catenasque imprecari: non dicam carnificem, non appellabo furiam, non homicidam nominabo, sed ei potius el-leborum apprecabor, ut facès errorum eiiciat, & aniles fabulas, quibus ad fallenda iuuenum studia vsus est, eructet, ne sibi molestus, aliis graueolens, infamis, scelestus, & stultior stultissimo, barbaroque tandem Potitio appareat ineptior. Ego homini vesano & leui non respondeo. Latrent nocturni canes, vlulent noctuæ, certent cum cygnis vpupæ: ego fileo, & tales quisquillas vilipendens res meas gero, nec, quod etiam Mariana fecit, aduersariorum furiosa scripta euoluo. Mendaciorum cuspides, quoniam obliqua sunt, in se recur-



runt: suis sese laqueis irretit aranea: qui si firmi sunt, necesse est, ibi eam perpetuo contineri, si infirmi, desperandum ipsi est, quo nos pacto inuolutos conclusosque velit. Si quid video, bene sane lotus depexusque scurra ab auditore meo est, qui litteras ad *Christophorum Augustum Heumannum*, virum clarissimum, dedit, partim, ut Inspectorum eruditione præstantem ab adspersa labe liberaret, partim etiam, ut sibilis dignum ostenderet idiotam, qui veterum ieiunas & spinosas lites excitauit, maledicta in innoxios eiaculauit, & verborum strepitu facto, animum stoliditate distentum scelestisque ignibus tostum prodidit. Si quid acoris deprehenderit lector, tum vero cogitet, rogo, non habere pessimorum hominum turbam conquerendi causam, quæ tot me calumniis sine causa proscidit, in clamauit, foedissimisque conuiciis incessit: ut silentio præteream, esse nonnulla affectui discipuli, iustæque indignationi industrii auditoris condonanda. De cetero vobis, INIMICI suauissimi, gratias persoluo immortales, quod vigilantes in me oculos hastenus conuertentes ad omnem industriam, ad res præclaras, virtutemque excitulastis. Noui odiorum causas, ac serpentis inimicitiae incrementa:

[Ode-

*Oderunt hilarem tristes, tristemque
iocosi,*

*Sedatum celeres, agilem nauumque
remissi,*

*Potores bibuli media de nocte Falerni
Oderunt porrecta negantem pocula.*

Sed intelligo quoque, salutem ex hostium acerrimorum insidiis mihi fuisse enatam, ac de manu eorum, qui me odio habuerunt, felicitatis, quam vnquam sensi, fructus sane maximos lætissimisque processisse. Nunquam, credite, in Fridericiana professoris munus, nunquam alios dignitatum affectassem titulos, nisi me aliquot abhinc annis inuidia odiisque probe agitatum & coëctum ad eam tandem necessitatem compulissetis, vt peruoluerem libros, omnique animi contentione in varias disciplinas litterasque incumberem. Vobis igitur omnem, quam ostendi, industriam tribuo: vobis audientium coronam acceptam fero: vobis virtutem, quam perpetuo sectabor, adscribam: in vestrum sinum veritates omnes, quas vnquam sum cogniturus, effundam. Tantum perduret hoc odium, precor, nihil inde incommodi sustineo: continuet inuidia, & incitatus curram: maneat gloriæ obrectatio, & maiorem
CON-

consequar : augeatur malevolentia impetus, & acriori studio ad recta & immortalia contendam. Mihi iam bene est : vos cruciamini : ego cibum potumque lætus capio : vos ieiuni contabescitis : ego ad virtutis ac veritatis laudem plenis passibus eo ; vos infamia conflagrantes vestro iam nomini æternum stigma inussistis. Mihi abunde est, mihi sat est, infensa pectora ! At ego tamen non adeo seuerè vobiscum agam, vti præcepit Salomon, qui cum inuido non esse comedendum cibum iudicauit. Nos epulabimur vna : libemus ex eadem mensa : prandeamus hilariter : coenemus lætanter. Quod si enim omnem euitare inuidiam vellem, cum muribus mihi gliribusque foret vescendum. Sed hos cum Diogene parafitos deligere nolo. Valete & viam ad veritatem philosophiæ moralis eodem, quo cœpistis, fastu proxime calcate.

Halæ Magdeburgicæ
VIII. Kalendas, Iulias
cl. Io cc. xiii.

S 44 $\frac{105}{45}$

AB 44 $\frac{10}{4,5}$

Fl. 501^a

X2406999




HAL
PROST.

AVCT

ARS
GENV
SVPER
SV

LO

NIC



Farbkarte #13

